~~Ioij Marini~~

I

129

CONSTITVTIONES
EDITAE PER REVERENDISS. IN CHRISTO PATREM D. IO. MATTHÆVM GIBERTVM

Episcopum Veronæ, ac in ciuitate, & diœcesi Veronen. Legatum Apostolicum,

EX SANCTORVM PATRVM DICTIS, & canonicis institutis, ac variis negotijs quotidie occurrentibus, & longo rerum vsu collectæ, & in vnum redactæ.

AB ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D. D. Augustino Valerio S. R. E. tit. S. Marci presbytero Card. ac Veronæ item Episcopo recognitæ, notationibus illustratæ, atque ad Concilij Tridentini decreta reuocatæ.

Quibus adiectus est eiusdem Cardinalis libellus, Cur non ediderit constitutiones.

Collegij Rom. Soc. Jesu Catal. Inscript.



Bibl. Card. Bellarm.

VERONAE,
Apud Hieronymum Discipulum impressorem Episcopalem.
M D LXXXIX.

mihi Card. Bellarmino.

AVGVSTINVS VALERIVS S. R. E. CARDINALIS, ET EPISCOPVS VERONEN.

CLERO SVO SALVTEM.

VTRVM nouas Conſtitutiones traderem huic Veronēſi Eccleſiæ, an veteres iam pridem conditas rurſus ederem in lucem per me recognitas, diu, multumq́; dubitaui, filij, fratresq́; cariſſimi: nam ad illud primum impellebat me conſuetudo probata multorum Epiſcoporum Conſtitutionum edendarum; quorum diligentiam, atq; induſtriam turpe videbatur eum non imitari, qui Veronenſem Eccleſiam ſpatio vigintiquinque annorum gubernaſſet: alterum ſuadebat ipſa editio Conſtitutionum à ſapientiſſimo, atque optimo Epiſcopo Ioanne Matthæo Giberto conditarum; quæ tanta prudentia excogitatæ ſunt, atq; ſcriptæ, vt non modo Epiſcopi ali-

quot ex illis, tanquam è fonte Constitutiones suas deriuarint; verùm etiam sacrosanctum Concilium Tridentinum inter sua decreta quasdam ex ijsdem Constitutionibus ferè de verbo ad verbum transtulerit. Verùm tandem aliquando posterior cogitatio plus apud me valuit; quam multis sacerdotibus de vestro numero placere sensi; ac proinde statui Constitutiones vobis tam notas recognoscere, typisq́; mandare; idq́; multas ob causas: primum quidem, vt Ioanni Matthæo Giberto optimo Episcopo, quem mihi semper in mea administratione imitandum proposui, hac ratione debitum honorem tribuerem; cuius memoriam in Veronensi Ecclesia conseruari diutißimè percupio: neque enim satis improbari potest mos ille peruersus quorundam, qui suorum prædecessorum nomen, ac gloriam obscurare nituntur. Deinde cum intelligerem plus momenti ad salutem populorum, Clerique sanctitatem positum esse in obseruatione legum receptarum, cum bona sunt, ac salutares, quàm in nouis legibus ferendis; cur veteres Constitutiones tanti Episcopi in-

dustria

dustria editas, & praestantissimorum virorum successorum suorum diligentia obseruatas abrogarem, et abrogatis nouas substituerem? Praesertim cum Clerus in illis diu uersatus, illarum peritus, ijsdem assuetus septem, & quadraginta annorum vsu aegre laturus videretur mutationem fieri. Omnibus enim id insitum est à natura, vt veteres consuetudines, ac leges malint retinere, quàm nouas recipere. His igitur rationibus motus, ac planè persuasus statui vos fratres, filijq; dilectissimi in editarum Constitutionum vsu confirmare, & quasi incitare currentes; ac proinde eas diligentissime recognoui, consilio, atque industria plurium doctorum virorum vsus. Ac prima quidem cura fuit, vt ad synodi Tridentinae normam omnes ea dirigerentur, & conformarentur, quae (quod ante synodum editae fuissent) ab ea discrepare viderentur. Altera verò, vt quae paulò seueriores à nonnullis existimabantur, spiritu lenitatis mitigarentur; postrema, vt obscuriores illustratae interpretatione prodirent. Earum porro dignitatem reueritus (paucis

qui-

quibusdam verbis leuissima correctionis gratia detractis) integras typis mandari volui. Correctiones autem, interpretationes, ac moderationes, quas addere placuit, singulis capitibus, vbi opus erat, distinctis characteribus subscribi curaui. Vos igitur hortor filij carissimi pro charitate paterna, ac per Dominum nostrum Iesum Christum sacerdotem summum, omnium Ecclesiasticarum legum auctorem obtestor, vt animum ad earum vsum, obseruationemque intendatis. Hæ autem Constitutiones hoc tempore meo iussu eduntur, vt ab vniuerso Clero summo studio, & quàm maxima diligentia seruentur; ea voluntate, vt quatenus per auctoritatem nobis à Deo, atque à sede Apostolica traditam possunt obligare, obligent conscientiam eorum, ad quos pertinent. Declaro præterea pœnas in illis expressas interpretationibus tamen nostris aut moderatas, aut explicatas, non ad terrorem, vt dici solet, positas esse, sed vt uerè à violatoribus Constitutionum subeantur. Quanquam spero fore, vt vos omnes imbuti virtutis amore, memores salutis vestræ, atque

mune-

muneris, grati Io. Matthæo Episcopo vigilantissimo Constitutionum auctori, mihi earundem correctori, vestri amantissimo, beneuolentiæ, meisq; optatis studio, atque obseruatione sitis responsuri. Ad quarum constitutionum obseruationem & salutis uestræ studium, & Veronensis Cleri existimatio, & mea erga vos uigintiquatuor synodis diœcesanis longis sermonibus, & multis alijs argumentis declarata paterna charitas singulos uestrum, vt spero, ualde excitabit. Valete. Calen. Octobris M. D. LXXXIX.

IOANNES MATTHÆVS GIBERTVS Dei & Apostolicę Sedis gratia Veronensis Eccesiæ licet indignus Episcopus, & Comes, in ciuitateq;, & diœcesi Veronensi Sanctissimi Domini nostri Papæ, & eiusdem Apostolicę Sedis Legatus, ac super exemptos Iudex, & Commissarius. Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, & præsertim ciuitatis, & diœcesis prædictarum, præsentes literas nostras lecturis, & audituris, in Deo, & Domino nostro Iesu Christo salutem, & pacem in secula.

POSTQVAM Altissimo placuit, vt is locus gubernaculi nobis traditus sit, qui remum tenere non noueramus, omnes nostras preces, atq; orationes eidem, a quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, effudimus, vt ille dux, & præceptor noster, quando res sua agitur, gubernandi modum ostendere nobis dignaretur; atq; Domino concedente, & orationibus fratrum, & filiorum nostrorum coadiuuantibus, eam mentem, eumq; animum assecutos nos esse arbitramur, vt commisso nobis gregi prodesse, non præesse voluerimus, oues, sanguis quarum e manibus nostris requiritur, ea charitate, quam Dominus elargiri dignatus est, custodiendo, & opportune curando, vagas attrahendo, morbidas sustinendo, lentas vrgendo, variosque abusus, quos in animarum perniciem, & christiani cultus diminutiouem antea inoleuisse inueneramus, in dies tollendo. Qua in re experientia docti sumus, quàm vere dicebat beatus Augustinus, quemadmodum nihil est in hac vita, & maxime hoc tempore, facilius, leuius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie, atq; adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserabilius, tristius, & damnabilius, ita e con-

uerſo nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo, quo Imperator noſter præcipit, militetur. Quòd ſi in eius ætate, feruenti adhuc martyrum ſanguine, & primitiuæ illi immaculatæ, & ſine ruga Eccleſiæ, in qua tam propinqua tot ſanctorum virorum exempla in omni virtutum genere, tanquam clariſſima ſpecula cernebantur, vera hęc fuiſſe, ex ſcriptis doctoris ſancti deprehendimus, quid nos, qui ab illa veteri diſciplina remotiores ſumus, & in quos iam fines ſeculorum deuenerunt, promittere nobis debemus? Et cum Dei gratia, & benignitate opera noſtra, penitus irrita non fuerit, cum iam nunc ſuper his, quæ ad chriſtianam religionem ſpectant, mores non modicum immutatos conſpiciamus, ſperemusq; in dies magis profecturos, volentes, vtcunq; poterimus, prouidere, ne iacta ſemina temporis interuallo, aut aliàs neglecta quaſi marceſcant, ſed potius prompta, & quodammodo neceſſaria, reminiſcendi data occaſione, fructus ſuos in annos adaugeant: ea etiam ratione ducti, quòd indecens videbatur, vt Eccleſia noſtra Veronenſis, prout pleræq; alię Italiæ cathedrales Eccleſiæ, inter quas ipſa nequaquam minima eſt, conſtitutiones, quæ ſynodales ſolent nuncupari, non haberet, conſtitutiones præſentes tam ex ſacra pagina, & canonicis inſtitutis, quàm multiplicitate negociorum, & magiſtra rerum experientia collectas, etiam ineuidens, atque perpetuum animi noſtri teſtimoninm imprimendas, eaſq; ſub certis titulis digeſtas, prout viſum eſt commodius, & quò facilius vnuſquiſque, quod ad ſe ſpectauerit, inuenire, & ſimul poſitum quaſi vno aſpectu dignoſcere poſſit, in hoc volumen, quanta cum breuitate fieri potuit, redigendas curauimus: & quidem prius S. D. N. D. Paulo diuina prouidentia Papæ tertio oblatas, & per beatitudi-

nem

nem suam, postquam per Reuerendum fratrem Thomam Badia ordinis prædicatorum Magistrum sacri palatij bene inspici, & examinari fecit, Apostolica authoritate approbatas, vt copiosius constare poterit ex ipsarum literarum Apostolicarum tenore, quas cum nonnullis paucis magis opportunis, quum sint aliæ admodum multæ,& pleræque ipsarum valde prolixæ, & iam in ciuitate & diœcesi Veronensi solemni publicatione palam propositæ,& manifestæ, sufficere putantes elegimus,& in prædictarum constitutionum fronte inseruimus. Hortamur itaque in Domino, & tam ordinaria, quàm Apostolica, vigore diuersarum tam fe.re.Clementis Papæ VII. quam prælibati Domini nostri Pauli literarum nobis concessa authoritate præcipimus, & mandamus, constitutiones ipsas ab omnibus, & singulis Christi fidelibus in ciuitate, & diœcesi prædictis præsentibus,& futuris temporibus inuiolabiliter obseruari debere. Quas nos animas potius, quàm linguas eruditas facere, & eas Domino lucrari cupientes, eo modo composuimus, vt pastorali, paternaq; charitate familiares christianæ, ecclesiasticæq; vitæ institutiones, domesticasq; admonitiones, aliqua fortasse prolixius, & aliter, quàm per sanctionis, & legis modum posita, recensendo, nonnulla etiam non tanquam noua, sed iam tacta per canones, & doctores propter illos, quibus librorum copia non adesset, quasi recitando creditis nobis filiolis traderemus. Quos omnes labores libenter admodum haustos spes mollit, & temperat, quam auspice Deo concepimus, neminem fore, quem pigeat volumen totum perlegere, & assidua lectione familiares, & bene notas facere has nostras cõstitutiones, diuina ope eas exequi studendo, & eo maiore studio, quo quisq; dignior, & nobilior est, vt cæteris exemplo prodesse possit. Valete itaque in Domino fratres, & filij mei charissimi, & desideratissimi; & sic state in Domino, vt omnia possitis in eo, qui

vos confortat: Dominumq; in orationibus vestris semper orate pro Sanctissimo D.N. Papa, Ecclesiaq; sua sancta, & pro fęlici statu Illustrissimi Dominij nostri, totiusq; christianæ Reip. & pro nobis: eaq; sincera pietate, ita cuncta in bonam partem, quemadmodum à nobis dicta sunt, accipite. Pax, & gratia Domini sit cum omnibus vobis. Amen.

BREVE APPROBATIONIS PRAESENTIVM CONSTITVTIONVM.

Venerabili Fratri Ioanni Matthæo Epiſcopo Veroneñ.

PAVLVS PAPA III.

VENERABILIS Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Conſtitutiones à fraternitate tua pro directione, ac ſalubri regimine perſonarum eccleſiaſticarum ciuitatis, & tuæ diœceſ. Veroneñ. ad nos tranſmiſſas dilecto filio Thomæ Badiæ ſacri palatij noſtri apoſtolici Magiſtro videndas, ac conſiderandas dedimus. Cum autem idem Thomas eaſdem conſtitutiones diligentiſſime (vt aſſeruit) perlegerit, ac ſalutiferas, & ſanctas eſſe nobis retulerit, nos & ſi fraternitatis tuæ probitatem, & in grege ſibi à Deo Domino commiſſo, in viam veritatis dirigendo, diligentiam, & aſſiduam curam antea noueramus, auximus certe ex hoc nouo fructu opinionem de te noſtram, ſummeq; tuum hoc erga religionem, & Dei Domini noſtri cultum, ſtudium commendamus, & laudamus; ipſasq; conſtitutiones, earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus: & ſub pœnis, ac cenſuris eccleſiaſticis per te, vel Vicarium tuum in ſpiritualibus infligendis, ab his, ad quos ſpectat, inuiolabiliter obſeruandas eſſe, & obſeruari debere, dictiſq; conſtitutionibus, & illarum cuilibet parti, per cuiuſcunq; ſecularis, eccleſiaſticæue poteſtatis diſpoſitiones contrarias, & literas etiam apoſtolicas quomodolibet pro tempore, etiam motu proprio edendas, & concedendas, cuiuſcunq; tenoris fuerint, minime derogatum eſſe,

neque

neque derogari posse, nisi per ipsas apostolicas literas capituli constitutionum prædictarum, cuius derogationem concernent, & præsentium literarum nostrarum totum tenorem insertum habentes, iterum, & tertio iteratas, ac nostro, vel Romani Pontificis pro tempore existentis motu proprio concessas; quicquid secus fieri contigerit, irritum, & inane decernimus. Volentes, quòd illarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & tuo sigillo munitis plena, & indubia fides ab omnibus, & vbique adhibeatur, contrarijs non obstantibus quibuscunque. Hortamur insuper dilectos filios nobiles viros Ducem, & Dominium Venetiarum, vt pro sua erga Deum obseruantia, & religione fraternitati tuæ in publicandis constitutionibus huiusmodi, & pro illarum obseruantia, quoties opus fuerit, faueant, & opitulentur. Datum Romę apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 25. Maij. M D XLII. Pont. nostri anno octauo.

F. Episcopus Spol.

PIA AD SACERDOTES NOSTROS ad sancte, honesteq; viuendum adhortatio.

QVò facilius Fratres nostri carissimi ea, quę in his nostris constitutionibus ad gloriam Dei, populi ædificationem, ac maiorem laudem eorum, seruanda ipsis proponimus, seruare animum inducant, visum est, hic initio pauca quædam præmittere, quę magnitudinis officij, ac dignitatis eorum illos admoneant, vt eius memores, sicut re, & nomine sunt sacerdores, ita opus etiam habere sacerdotum studeant, vitaq;, ac moribus manifeste docere, omnia ea in se nomina conuenire, quibus in sanctis literis appellantur. Meminisse igitur in primis fratres nostri debent, se Christi ministros esse appellatos: legatosq;, ac dispensatores mysteriorum Dei: eiusdemque angelos, Christos, ac Deos: sibi commendatam esse tutelam legis diuinæ: cuius esse ad populum præcones, assertores, ac vindices acres debent: sibi gregem suum precioso suo sanguine redemptum Dominum nostrum Iesum Christum pascendum tradidisse verbo, opere, atque exemplo: se claues ab eo regni cœlestis accepisse: suum esse munus Christi palmites plantare, rigareq;, ædificatores esse se templi Dei, Deique adiutores dici, & medicos ęgrotantium animarum, candelabrumque ardens positum in domo Dei: eumq; in Ecclesia locum tenere, quem oculus in corpore vniuscuiusque. Eos dominus noster Iesus Christus sal terræ, ac mundi lucem nominat: tantamq; ijs docentibus authoritatem tribuit, vt qui eos audierit, ipsum audisse, qui eos spreuerit, ipsum spreuisse putandus sit. Magistri præterea, & patres Principum, ac Regum sunt appellati, exemplarq; omnibus vere pietatis propositi: datumq; eis, vt sacro ore sacrum Christi corpus

pus, & ſanguinem conficiant. Quæ certe omnia videre poſſunt qualia,quantaq; ſint indicia,ac teſtimonia excellentis cuiuſdam officij,ac dignitatis: quæ donata ſibi a Domino cuſtodire omni cum diligentia debent in cognoſcenda, faciendaque eius voluntate, vnde omnis ſine dubio vera eorum laus pendet, & gloria, & cum populi ædificatione exaltatio nominis domini. Hæc itaque ſingula fratres noſtri diligenter attendent,& operam ſtudioſe dabunt,vt plane appareat,eorum omnem vitam cum tam pręclaris,tamque inſignibus titulis concordare:nimirumque reputabunt ſecum, quantus eſſe ipſorum animi candor, ac puritas debet,quantum in verbis pondus,quanta in geſtu,inceſſu,habituque corporis non ſimulata, neque intempeſtiue affectata, ſed vera,& matura grauitas, quantum diuinæ legis ſtudium,atque cognitio, quanta denique in omnibus eorũ factis lucere honeſtas,ac ſanctimonia debet,quomodoq; ſe ab omnibus ijs & ſtudijs,& conſuetudinibus omni ratione amotos ſeruare:omniaque abhorrere, ac faſtidire:quę talis tantęque dignitatis ſplendorem macula vlla poſſunt afficere,ij præſertim, qui in peragendis aſſidue ſacroſanctis Domini corporis, & ſanguinis myſterijs ſunt occupati: turpe eſt enim,valdeque flagitioſum, homines Deo, ac rebus diuinis conſecratos,ijſque aſſidue operam dantes non longo interuallo meliores cæteris exiſtere,qui in communi vitæ genere verſantur;genuſque eſt impietatis,noſtra ſententia,haud mediocre,aures, ac linguam cœleſtibus quotidie oraculis,& diuinis laudibus audiendis, proferendiſque dedicatas,mundanarum,ac minime decentium rerum narrationibus polluere,multo vero turpius,ac flagitioſius,cor ipſum,quod puriſſimum eſſe Spiritus ſancti domicilium debet, ſordidis terrenarum rerum affectibus contaminare, cum homines ſacros nihil niſi ſacrum,ſanctumque deceat. Quòd ſi ab ijs, qui in veteri lege bruta animalia Deo ho-

ſtias

ſtias offerebant,tanta, quantam ſcimus,mundicies corporis requirebatur: quanto tandem eam maiorem animi, ac vitæ totius ab ijs nunc requiri putandum eſt, qui ſanctiſſimam illam hoſtiam vnigenitum Dei filium offerunt? Memores proinde tam ſublimis ſtatus ſui, ac officij fratres noſtri omnia alta,omnia ſublimia cogitabunt; cauebuntque omni cum diligentia, ne in dominum Deum, atque adeo in ipſum ſacerdotij nomen exiſtant ingrati: ne ex cuius ſplendore venerabiles fiunt, & maior eorum pars vitæ etiam præſidium habet: illud ipſi contra vita ſua, ac factis dedecorent: neq; vllo modo patientur, vt de ſe dici verè illa poſſint,homines eſſe ipſos mente corruptos,ac reprobos, nubes ſine aqua, animales,ſpiritum non habẽtes: qui, quibus duces eſſe ad cœleſte regnum debebãt, ijs viã veluti ad gehennam commoſtrent. Quinimo totis viribus in eo elaborabunt,vt quò altiore in gradu dignitatis à Deo ſunt conſtituti, eò maiore etiam ſplendore fulgeant ſanctitatis: idque cum ſemper, tum verò quando ad ſacroſancta myſteria celebranda erunt acceſſuri. Tum enim ſe (ſi alias vnquam) verè angelos Dei eſſe, Chriſtoſque, ac Deos cogitabunt, ſtudebuntque, vt quàmcaſtiſſimis animo, & corpore magno cum timore, tremoreque venerabile illud etiam angelis ſacramentum tractent, ne, ſi ſecus fecerint,oratio eorum ipſis fiat in peccatum, ſed ſancti ſancta tractantes ab ipſo ſanctitatis fonte mereantur in orationibus ſuis exaudiri. Meminiſſe autem eos aſſiduè illius, quod eſt in Euangelio, volumus, quòd cui multum datum eſt, multum etiam quæretur ab eo, in die videlicet, quando rationem quiſque cogetur reddere vilicationis ſuæ, & item illius, quòd duriſſimum iis iudicium fiet, qui alijs præſunt. Caueant igitur vnà nobiſcum, ne, qui ad aperiendam alijs ianuam cœleſtis regnis ſumus vocati, ipſi eam nobis clauſiſſe: & qui magiſtri alijs dati, ipſi

ea, quæ officij nostri erant, ignorasse videamur nomine & Dei, & sacerdotij dedecorato: factique, nobis, & alijs pro speculatoribus, venatores. Quod vtinam sapientiæ, & gloriæ, & bonorum omnium author dominus à nobis omnibus auertat. Amen.

PRINCIPIVM CONSTITVTIONVM.

DE SIGNO CRVCIS.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. A superiore descendendo inferius, quia Dominus noster Iesus Christus de cœlo descendit in terram: à sinistra producendo in dexteram, quia de miseria transituri sumus ad gloriam.

ORATIO DOMINICA.

PATER noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

SALVTATIO ANGELICA.

AVE Maria gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

SYMBOLVM APOSTOLORVM, VEL XII. ARTICVLI FIDEI.

CREDO in Deum patrem omnipotentem creatorem cęli, & terræ. Et in Iesum Christum filium eius vni-

cum dominum nostrum. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: Sanctam ecclesiam catholicam. Sanctorum communionẽ. Remissionem peccatorum. Carnis Resurrectionem. Vitã æternam. Amen.

DECEM PRAECEPTA.

EGO sum dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo sursum, & quæ in terra deorsum; nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra: Non adorabis, neque coles ea, sed diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Memento, vt diem Sabbati sanctifices.

Honora patrem tuum, & matrem tuam; vt sis longæuus super terram.

Non occides.

Non mœchaberis.

Non furtum facies.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimoniũ, sed diliges proximum tuum sicut teipsum.

Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis vxorem eius.

Non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

DE VITA, HABITV, CONVERSATIONE, ET HONESTATE CLERICORVM.

TITVLO PRIMO.

Hortatio ad honestam vitam. Cap. I.

QVum Clericorum honestas a capitis vertice vsque ad plantam pedis versetur, nos omnes summa ope niti decet, vt nominis, professionisque nostræ memores agnoscamus, cum in sanctorum loco simus, necessitatem bene uiuendi, non licentiam peccandi esse assecutos, ne sic laicis vllam præbeamus ansam peccandi, aut iure male sentiant de clericali professione; vel hinc occasionem accipiant in vitijs perseuerandi. Iccirco in primis à nobis elaborandum est, vt sanctorum opera exerceamus: luceantque corã hominibus opera nostra, simusque illud sal euangelicum in ministerio vigilantes, & soliciti, plantantes, euellentes, dissipantes, & cum summo studio ædificantes, quæ ad pietatem proficiunt: Aliter enim nobis alios corrigere volentibus facile obijcietur, Medice cura te ipsum. Curandum igitur est, ne eius, quod in nobis requiritur, totum oppositum reperiatur, ne honestatis loco suffecta inhonestate, quis merito dicat, a planta pedis vsque ad verticem capitis non esse in nobis sanitatem.

De tonsura deferenda. Cap. II.

QVVM eò deuentum sit hodie, vt plerosque pudeat tonsuram, & coronam decentem ferre, per quam regnum, quod in Deo habere debent, designatur, statuimus, & monemus omnes, & singulos ecclesiæ nostræ ciuitatis, & diœcesis Veronensis clericos, & ecclesiasticas quascunque personas, quocunque nomine, aut dignitate censeantur,

seantur, vt tonsuram, & coronam, seu clericam ordini suo congruentem, continue deferant, abrasam, & visibilem: & qui impręsentiarum non habent, statim resumant, & deferant, vt supra.

INTER ea, quæ requiruntur ad hoc, vt clericus gaudeat fori priuilegio, ponitur Tonsura à Concilio Tridentino sess. 23. cap. 6. de Reformatione. Extat item Constitutio S.D.N. Sixti V. quæ incipit, Cum sacrosanctam, data v. Id. Ianuarij, & promulgata die 18. eiusdem mensis anni 1589. qua sancitur, vt qui clerici tonsuram, & habitum clericalem, idest vestes talares non gestauerint, præter alias pœnas priuati sint, & censeantur ipso facto omnibus beneficijs ecclesiasticis, ac pensionibus cuiuscunque generis.

De congruitate clerica. Cap. III.

CONGRVENTEM autem eam coronam, seu clericam (ad tollendam quorundam malignantium fraudem) interpretamur; vt sacerdotes omnes, tam in dignitate ecclesiastica constituti, quam alias cuiuscunque ordinis, etiam non beneficiati non minorem vna hostia magna; cæteri vero in minoribus, & sacris ordinibus citra Sacerdotium constituti licet non beneficiati non minorem hostia parua possint deferre. Religiosos autem secundum sui ordinis instituta, & determinationem, quemadmodum in cęteris, ita & in his ad vnguem viuere volumus.

De coma non nutrienda, & de birreto, & subbirreto. Cap. IIII.

QVVM secundum Apostolum ignominia sit viro, qui comam nutriat, mandamus, quòd omnes clerici capillos prope aures incisos gestent, non calamistro, seu discrimine mollium, ac effęminatorum more compositos.

Bir-

Birreto honesto, rotundo sine plicis, vel cum cruce curialiũ more honesti, & permissi coloris vtantur: illudque non more quorundam leuium laicorum in transuersum ferant. Vsum autem subbirretorum, quę orechini vulgariter nuncupantur, cum redimiculis, seu pinnulis, quæ etiam plerunque sub gutture colligantur, penitus prohibemus; si qui vero his indiguerint, illa absque redimiculis, seu pinnulis huiusmodi honeste composita deferre permittimus.

Prope aures &c.) Incidere prope aures capillos debent clerici, si cæsariem ferre voluerint: omnino autem labri superioris pilos ita tondeant, vt ne sanguine Christi Domini, dum sumitur, intingantur.

Rotundo &c.] Quo tempore scripta est hæc constitutio, pileum rotundum ferre solebant clerici; nunc autẽ quadratum tantum est in vsu in ecclesia Veronensi; ac proinde eo vtendum, & non nisi nigri coloris, licet aliquando aliquis alius color fuerit à consuetudine permissus.

De habitu congruente portando. Cap. V.

QVAMQVAM clericalis sinceritas, & modestia ecclesiastica non minus ex honesto habitu, quàm ex honestis moribus ostenditur, & talis quis esse præsumitur, qualis ex habitu iudicatur, complures tamen clerici ad hoc non aduertentes, etiam in sacerdotio constituti, tam curati, quàm non curati, reiecta honestate, dissolutos habitus, suoque statui deformes, etiam in ecclesijs, & publicis conuentibus deferre non verentur. Sunt & alij, qui tam vilibus vtuntur vestimentis, vt potius operarum locatores, quàm missarum celebratores videantur. Quumque pariter & affectatæ sordes, & exquisitæ delitiæ damnentur: Nos circa præmissa prouidere, salutique subditorum consulere cupientes, Omnibus, & singulis iurisdictionis nostræ clericis, ne per dissolutarum, & indecentium vestium delationem sacerdotis dignitas vilescat, præcipimus, & mandamus,

vt post hac habitus suę statui decentes,& congruentes deferant.

In ecclesijs &c.] Cum omnibus in locis, tum vero præcipue in ecclesijs magna ratio habenda est congruentis habitus. quod Conc. Trid. animaduertit sess. 24. cap. 12. de Reform. vbi sic ait, Vestitu insuper dicenti, tam in ecclesia, quàm extra assidue vtantur. & sess. 23. c. 6. de Reformatione decreuit fori priuilegio non gaudere clericum, nisi clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat. sess. item 14. cap. 6. de Reformatione statuit pœnas non ferentibus honestum habitum clericalem ordini, ac dignitati congruentem, iuxta Episcopi ordinationem, & mandatum.

Super eodem de vestibus. *Cap. VI.*

VESTES ergo superiores gestent talares, nimia longitudine, vel breuitate non notandas, ita vt nimia amplitudine superfluę, aut plus æquo constrictæ non sint, collum tegentes, & desuper clausas, seu coniunctas, & tales, propter quas omnino distinctionem recipiant. Vestes autem inferiores, quas subtaneas vocant, ita longas, & honestè cõsutas, vt caligæ supra crura, & diploides, etiam si exterius indumentum aperiatur, nullatenus appareant. Sagulorum breuium, præsertim ad medium crurum non tendentium, & crispatorum, & cæterarum vestium expeditarum vsum penitus interdicimus: cum huiusmodi magis secularis, quàm cœlestis militiæ milites deceant. Similiter illud vestis genus cum varo ab humeris pendente cum pellibus, vel sine detestamur. Non ferant caligas circa genu diffutas Heluetiorum more, quas coxalia appellant, ita vt caro inspici possit.

Quoniam Conc. Trid. sess. 14. c. 6. de Refor. Episcopo dat auctoritatem præscribendi habitus honestatem; inhærendo etiã constitutioni Sixti V. cõmemoratæ in annot. ad c. 2. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. decla-

declaramus habitum honestum clericalē eum esse qui hoc c. 6. & sequentibus exprimitur: vetantes preterea turgida femoralia, Ferrarolos vt vocant, & ocreas albas. Galerus autem in ecclesia nulla ratione aut prætextu gestetur extra ecclesiam non nisi ex necessitate.

De coloribus vestium. Cap. VII.

VESTES quoque ipsas non habeant ex coloribus a sacris canonibus prohibitis, non diuisatas, non stricatas, aut scaccatas, soleas similiter, vel crepidulas, ex velluto, vel serico coopertas, non aliter incisas vel strataliatas. A viridi, glauco, & roseo colore, & sericeis vestibus simplices sacerdotes abstineant. Liceat autem doctoribus, atque alijs in dignitate constitutis honestas, & longas vestes, cendato, vel pellibus fodratas, & roseo etiam colore tinctas deferre: eos tamen hortamur, vt eas habere velint, in quibus clericalis ordinis honestas, & modestia, non fastus, iactantia vel elationis vitium deprehendatur, ne merito vanitatis, & ambitionis nota possint inuri.

De Annulis, & zonis. Cap. VIII.

PROHIBEMVS insuper, ne quis sacerdos ad collum monile, seu cordulam etiam cum illi appenso forsan dentifricio aureo, vel argenteo, & margaritis, aut annulos in digitis deferat, aut cingulum ex serico, auri, vel argenti ornatum habens, nisi forte huiusmodi sint, quibus id ad suarum dignitatum decorem ex sacrorum canonum dispositione permittitur.

De Camisiis. Cap. IX.

CAMISIAS insuper lineas in vsu habeant, circa collum, & manus, vel brachia rugis, aut crispis, vel aliter

ex ferico, vel candido biftorto non laboratas, lafciuorum more, fed folùm fimplices cùm fuis collarijs honeftis, non nimis pendentibus.

Præter fupradicta prohibemus collaria triticeo fucco, aut alio artificio tenfa, & expanfa.

De habitu in Equitando. Cap. X.

SI quando vrgente neceffitate, petita quemadmodum inferius dicetur a Nobis feu Vicario noftro licentia, equitare contigerit, liceat eis uti breuioribus veftibus, modeftis, pileis tamen cùm pennis, aut fecularium birretis etiam in itinere vti eis nullo pacto liceat; fed quanto honeftioribus poterunt, indumentis vtantur; vt ex illis, quales fint, non modo cognofci, fed etiam honorari poffint. Quũ aliter mali animi argumentum fit, vt quod quis fit, illud videri nolit. Nulli ergo liceat, nifi aliud neceffitas exegerit, habitum transformare.

De equis. Cap. XI.

ET ne de Chrifti patrimonio (quod pauperum eft) luxuriari clerici videantur, cum graui laicorum fcandalo, abftineant omnino ab equis, alijsve iumentis plus æquo phaleratis. Non frenis, non ephippijs, aut fellis, non pectoralibus, non calcaribus deauratis, aut aliam fuperfluitatem habentibus vtantur; clerici enim de altari viuere non luxuriari permittuntur.

Non modo ab Equis, feu iumentis, verum etiam à rhedis, & curribus luxum abeffe volumus.

De pœnis contra rebelles in prædictis. Cap. XII.

QVICVNQVE autem in præmissis, vel aliquo præmissorum defecerint, si clerici primæ tonsuræ, & quatuor minorum ordinum,& non beneficiati fuerint, penas extrauagantis Fe. Re. Pauli PP. II. & decreti Clement. PP. VII. per rescriptum suum in forma breuis Illustrifs. D. nostro concessi; eo facto incurrant. Clerici autem in sacris,& sacerdotio constituti;non autem beneficiati vltra pecuniariam pœnam pro Nostro, aut Vicarij nostri arbitrio imponendam, pœnam carceris eo ipso incurrant,inibi; quoad nobis libuerit, permansuri. Beneficiati autem per ciuitatem, & dioec. nostram vltra easdem prædictas pœnas, sint eo ipso a perceptione omnium fructuum beneficiorum prædictorum spatio sex mensium suspensi; in qua quidem suspensione etiam vlterius tam diu maneant, quamdiu fuerint pertinaces ad se conformandũ congruentiæ prædictæ; & etiam alijs pœnis arbitrarijs subiaceant: & beneficiorum fructibus Ecclesiarum, quibus præsunt, fabricis assignandis, & vestibus, & alijs ornamentis damnatis, & non condecentibus per nos reputatis, cum quibus reperti fuerint, aut per duos testes conuicti, ipso facto amissis.

Pœnas contra clericos primæ tonsuræ, & quatuor minorum ordinum latas approbamus. circa verò constitutos in sacris ordinibus, & obtinentes beneficia, volumus seruari decretum Conc. Trid. sess. 14. c. 6. vbi sic ait, Quia verò &c. propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum

ordini,& dignitati congruentem, ex iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ipsorum beneficiorum, necnon, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum, & beneficiorum huiusmodi coercere possint, & debeant constitutionem Clementis Quinti in Conc. Viennensi editam, quę incipit, Quoniam inuocando, & ampliando. Item seruari volumus constitutionem S.D.N. Sixti V. de qua ad cap 2, mentio facta est.

De armis non portandis. *Cap. XIII.*

SACRORVM Canonum institutis militaria arma clericis sumere prohibitum est, quia non possunt simul & Deo, & sæculo militare; ex quo militaribus interdicitur, suis proprijs armis, quæ sunt orationes, & lachrymę, vti non prohibentur: quibus sane armis promeretur Deus. Talibus enim cum Deo pugnante Mose, populus suus vincebat. Talibus Theodosius Imperator senior miraculosam victoriam contra Eugenium, & Arbogastem obtinuit. Sanctorum igitur patrum vestigijs inhærentes, statuimus, quòd quicunque Clericus secularis, vel regularis, quacunque ecclesiastica dignitate præfulgeat, enses, vel arma portauerit, nisi extra Ciuitatem per loca suspecta contigerit eum ire, aut alia subsistente necessaria causa, de nostra, seu Vicarij nostri licentia illa deferret, arma perdat, & pro prima vice pecuniariam pœnam incurrat, nostro, aut Vicarij nostri arbitrio imponendam. Secunda vice per quoscunque etiam seculares ciuitatis, & diœc. officiales possit capi, siue in habitu clericali fuerit, siue non, ita quòd captus illico ad carceres episcopatus duci debeat, nec inde relaxetur, nisi per eum pęna nostro, vel Vicarij nostri arbitrio imponenda, & pro parte officialibus capientibus applicanda, pro parte ad pios vsus conuertenda, integre soluta fuerit.

Re-

Religiosi vero & sæculares, qui pecuniaria mulctari non possunt, per Nos, vel Vicarium nostrum, carceri deputabuntur, prout nobis visum fuerit, & arma perdant. Nullus autem siue pedester, siue equester fuerit, balistas, seu sclopettos portare præsumat, quas, vel quos qui portare ausus fuerit, pro qualibet vice ad pecuniæ, & carceris pœnam damnabitur.

De non eundo de nocte. Cap. XIIII.

SANE cum suspecti temporis ratione maior delicti præsumptio insurgat (qui enim male agit, odit lucem) nullus cuiuscunque status, gradus, dignitatis, vel conditionis existat, audeat per ciuitatem post sonum campanæ communis Veronæ ire sine lumine, alioquin qui sic repertus fuerit, si sine armis, in libris sex pro qualibet vice condemnamus, si vero cum armis, maiori pęnæ pro arbitrio nostro imponendæ, & carceris, pensata rei, & personæ qualitate subiacebit.

De non eundo cum instrumentis musicis. Cap. XV.

ET quoniam clerici media nocte ad confitendum Deo surgere, & septies in die laudem dicere debent, & quod Deo psallendo promittunt, vna cum Propheta. In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos, etiam re ipsa præstare, si contingat mala malis addentes, & de nocte euntes etiam turpes amatorias, aut lasciuas cantilenas, quas matinatas, seu serenatas, aut alias quomodolibet appellant, depromere, seu cantantibus fauere, vel adesse, siue cum armis, siue sine armis reperti fuerint, vltra pecuniariam pęnam pro Nostro, aut Vicarij nostri arbitrio, im-

imponendam, carceri etiam mancipentur, & per mensem a diuinis suspensi existant.

De Honestate clericorum, et conuersatione. Cap. XVI.

CONQVERENDI occasioné non haberent clerici, quòd illis a laicis debitus honor non deferatur, & quòd laicos in omnibus sibi oppido infestos experiantur, si ipsi onus humeris suis impositum ponderantes, re ipsa, quod sibi a Saluatore nostro dictum est, exequerentur, vel saltem exequi conarentur: Hortamur igitur, & monemus clericos omnes, tam religiosos, quàm seculares Iurisditioni nostræ suppositos, vt memores se quasi ad sagittam signum positos, in primis eos, quibus præsunt, bono exemplo pascere studeant; & vitæ suæ bonus odor ad bene, beateque viuendum cæteros inuitet, quod quidem futurum facile speramus, si quæ per ipsos facienda, vitandave adiuuante Deo monebimus, ipsi eodem adiuuante facere, vitareve studuerint.

De incessu, sermone, & oculo. Cap. XVII.

CVM igitur corporis incompositio, mentis qualitatem indicet, monemus in primis omnes vt incessu honestatem exhibeant; vt grauitate itineris mentis maturitatem ostendant; pudorem omnium virtutum custodem, & verecundam mentem habitu, incessuque præ se ferant; in verbo sint modesti, non obtrectatores, non effrenis linguæ; verborum obscœnitatem, non minus quàm operum execrentur, quum sæpe ex qualitate sermonis, qualis quis sit, facile dignoscatur, & non longe sit a facto, qui delectatur

in verbo. Non dissolutus risus, non indecens oculorum vagatio notetur in eis; cum impudicus oculus impudici cordis sit nuncius; sed mentis oculum purum habeant, corporis oculum pudicum, administrationis oculum prouidum.

Tridentina synodus sess. 22. c. 1. de Reformatione, præter cætera. Qua propter sic decet omnino clericos in sortem domini vocatos vitam, moresque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque rebus omnibus nil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum præ se ferant, &c.

De non exponendo se spectaculis. Cap. XVIII.

SI quis verò gradus, ordinis, professionis immemor factus choreis publicis, hastiludijs, tripudijs, aut saltationibus, aut spectaculis publicis, atque alijs eiusmodi sese immiscuerit, aut notabili tempore interfuerit, aut in choreis cum mulieribus cuiuscunque qualitatis, vel conditionis saltauerit, vel chorizauerit, interessentes in xxv. libris, tripudiantes verò in x. Duc. condemnentur, grauiori pœnæ etiam subijciendi, si quod inde scandalum sequutum fuerit. Volumus quoque, vt similiter conuiuia præsertim laicorum publica fugiant; nec ad loca, in quibus celebrantur, aut cantu, aut fidibus laicorum animos recreaturi accedant. Cantores autem clericos, qui spreto nostro mandato, nobis irrequisitis aliquò, vt præfertur, cantaturi accedere ausi fuerint, ad pœnam carceris condemnamus, eos a diuinis ad arbitrium nostrum suspendentes, & pro suspensis haberi volentes; quibus etiam notificamus, quòd sub pœna nobis arbitraria, nullo pacto sine nostra, aut vicarij nostri licentia audeant extra proprias ecclesias ad aliquem

alium

alium locum accedere ſub prætextu miſſas, & alia diuina officia cantandi.

Conc.Trid.ſeſſ.22.c.1.de Reform. Statuit ſancta ſynodus, ut quę alias à ſummis Pontificibus,& à ſacris concilijs de clericorum vita, honeſtate,cultu,doctrinaque retinenda,ac ſimul de luxu, comeſſationibus,choreis,aleis, luſibus,ac quibuſcũque criminibus,nec non ſecularibus negotijs fugiendis copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum ijſdem pœnis, vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis,obſeruentur.& ſeſſ.24.cap. 12.de Reform. Ab illicitis venationibus,aucupijs,choreis,tabernis,luſibuſque abſtineant.

Extra proprias eccleſias &c.] Ad alium locum miſſas, & diuina officia vere cantaturi accedere non prohibentur,ſi id ſine incommodo,& præiudicio propriæ eccleſiæ fiat.

De temperata clericorum vita, & ne vacent crapulæ. Cap. XIX.

NOLITE inebriari vino, in quo eſt luxuria, ait Apoſtolus; ſacerdotem enim oportet ſobrium eſſe; & non vinolentum:ſeque a crapula,& ebrietate abſtinere, & ſi enim ebrietas omnes dedecet, clericos tamen potiſſimum, tum propter deriſum, tum etiam propter periculum. Clerici enim ebrij neque diuinum officium perſoluere,neque ſacramenta miniſtrare, neque ſi opus eſſet, in baptiſmo ſacerdotalia verba proferre poſſunt, quum vinum mentis exilium inducat; vinum etiam æſtuantes rixas, lites, iurgia, contentiones, & contumelias in populo commouet iccirco tam pernitioſo morbo ex debito paſtoralis officij nobis iniuncti prouidere volentes, ſtatuimus, quòd ſi quis ebrius comprehenſus fuerit, pro prima vice ducatum unum ſoluat, & per quindecim dies ſit ſuſpenſus a diuinis; pro ſecunda vero vice, duplicetur pęna;

pro

pro tertia vero, tanquam incorrigibilis perpetuo sit suspẽsus: & si beneficium habuerit curatum, seu residentiam requirens, per nos, seu Vicarium nostrum possit taxari, qualecunque salarium visum fuerit, vni capellano pro ipso in dicto beneficio deseruẽti iuxta facultates in forma breuis a sanctissimo D.N. Papa nobis concessas.

Legatur locus Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de Reformatione, cuius verba in superiore annotatione descripta sunt.

Quòd non intrent tabernas. Cap. XX.

STATVIMVS etiam sub pęna nobis arbitraria, quòd nullus siue clericus, siue religiosus sit, tabernas, aut cauponas, edendi, aut bibendi causa intret: aut sub porticu alicuius tabernæ, vel alijs porticibus ibi adhærentibus, vel in vijs publicis edat, neque bibat, nisi peregrinationis, aut alia vrgenti causa fuerit compulsus.

Stabilitur hæc constitutio Conc. Trid. sess. 24. c. 12. supra recitato.

De honesto loco in ciuitate deputato, ad quem rurales sacerdotes diuertere debeant. Cap. XXI.

QVUM experimentis didicerimus, plerosque sacerdotes rurales, quum ad ciuitatem accedunt vel per nos aduocati, vel occasione aliqua compulsi, ex malitia, seu simplicitate tabernas ingressos cauponum, lenonum, & meretricum ibi commorantium blanditijs, varijsque aucupijs, tanquam hamo pisces, aut aues visco allectos luxuriæ fræna laxasse, & vana, ac detestanda scelera perpetrasse,

ſe, nos huiuſmodi veluti offendicula coram cæco poſita amouentes, deputauimus in ciuitate locum vnum honeſtum,aptum, & competentem, ad quem clerici pauperes, ruraleſque dioec. noſtræ in ciuitate commercium alicuius honeſtæ perſonæ non habentss, quum eos vel vocari, vel occaſione aliqua ad vrbem venire contigerit, diuertere edendi, & bibendi cauſa omnino debeant, & hoſpitari:ad quem ſi declinare dedignati fuerint, & in aliquod crimen inciderint, grauiter pro modo culpæ pro arbitrio noſtro caſtigabuntur.

Damnatur quidam abuſus compotationum. Cap. XXII.

QVum in noſtra, quam Deo propitio ſuperioribus annis fecimus, viſitatione, in nonnullis partibus dioec.noſtræ, & maxime ad Germaniæ confines, ſeruari inuenerimus abuſum quendam olim a Fe.re.Inno. p̄p̄. III. in generali concilio damnatum; quo etiam ſtatim completa miſſa mares, & fœminæ,& ipſi etiam ſacerdotes tabernas, quæ apud ſacras ædes ſunt, ingredientes, plauſus, & riſus incõditos, & fabulas inanes referendo, & cantando, ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit, vnde poſtea multa ſcandala oriri ſolet. Vnde abuſum iſtum penitus abolere,& ſcandalis,quan tum in nobis eſt, occurrere cupientes,decernimus,vt ſi fieri poteſt, ſtudeant ſacerdotes populo ſuadere, vt tales tabernæ deſtruantur, cum vnuſquiſque habeat domum ſuã ad manducandum, & bibendum, & non liceat eccleſiam Dei contemnere. Quòd ſi laici ad hoc induci non potuerint, proibemus omnino ſacerdotibus ſub pœnis contra ebrios ſuperius ſtatutis, ne ipſi ſaltem ingrediantur, neque

ſe

se immisceant; ne eorum exemplo credant forte laici eadem sibi licere; quod enim a clericis agitur facile a laicis trahitur in exemplum.

De congregationibus sacerdotum ruralium saltem semel in mense faciendis. *Cap. XXIII.*

QVVM suprascriptum compotationũ abusum abrogauerimus, congruum est, vt subijciamus infrascriptum laudabile institutum, quod in quibusdam diœcesis nostræ partibus pullulauit, quodque conspicientes quam fructuosum existat, per vniuersam diœc. prædictam vehementer optamus obseruari, vt scilicet sacerdotes rurales conuicini eorum locorum, (prout ipsam diœc. congrue in partes distinxerimus) saltem semel in mense ad vnum ex ipsis locis, & sic successiue ad singula quæque loca ipsa circulariter accedant, & conueniant: ibique populi illius loci multitudine conuocata, missas tam pro viuis, quàm pro defunctis celebrent; qui non fuerint legitimo impedimento detenti. Vnus ex ipsis prædicet, actibusque intenti salubribus exequantur sollicite, quæ sunt Dei, sintque quasi luminosæ, ardentesque lucernæ super candelabrum in domo Domini positæ, vt sic populus eorum instruatur doctrina, virtutibus, & moribus informetur. Nec ab hoc, tam salutari instituto labor debet aliquos deterrere, quos exemplum Apostoli poterit non modicum subleuare, qui suadet eis laborem huiusmodi non refugere, dum asserit pro communi salute se plus cæteris laborasse; in hoc enim recte prçponetur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti. Recipiens autem lautæ mensæ gloriam nõ affectet: & dum cibus sumitur, mens sanctis lectionibus,

& colloquiis ſpiritualiter recreetur; alijſque agatur, prout in quibuſdam capitulis in hoc negocio factis, & per nos approbatis continetur, & habetur. Ex quibus quidem congregationibus, ſi recte fient, quot per has ſanctas æmulationes profectus in via Dei, quot pia opera euentura ſperentur, nullus ſanæ mentis ignorat.

Seruetur praxis in libello de hac re per nos edito præſcripta.

De numero ferculorum apponendorum. Cap. XXIIII.

QVVM tota eccleſia Dei eleemoſynis ſubſtentetur, & quicquid ſupereſt clericis, id totum pauperũ ſit, abſurdum, & ſcandaloſum ſane videtur; vt clerici, qui parſimoniæ exemplum, ac ſobrie viuendi normam laicis pręberе debent, auctores potius ſint in conuiuijs ſuis excogitandi vana, & diuerſa ciborum condimenta, quibus ventris ingluuies expleatur. Ne igitur luxurioſe diſſipetur Chriſti patrimonium, decernimus, vt nullus clericus quacunque præfulgeat dignitate, in conuiuijs priuatis, ſeu publicis, audeat plura tribus fercula diſcumbentibus apponere; quod etiam magis tolerando, quàm probando inſpecta temporum qualitate concedimus; ne ſi aliàs fieret, quum etiam inſipientibus, & puſillis debitores ſimus, auaritia potius, quàm parſimonia iudicetur: eleemoſynis enim viuimus, & laicis frugalitatis, & parſimonię exemplum poſiti ſumus, a quibus tamen excitamur ad ita ſtatuendum, quum per dominos temporales iam cautum ſit ſub grauiſſimis pęnis, pro tollenda ciborum luxuria, ne tot, & tanta conuiuiis fercula apponantur, quæ poſtea magno parata labore, ac conſumpta doleamus.

Con-

Conuiuiorum publicorum: & priuatorum distinctio. *Cap. XXV.*

CONVIVIA autem illa priuata intelligimus, quę clerici inter se ex intentione impendendæ charitatis facere solent; quæ tunc ex charitate veraciter prodire noscuntur, si in eis nulla absentium vita mordetur, si nullus ex irrisione reprehenditur. Publica autem ea intelligimus, quæ quis ex aliquo onere, seu ratione tituli ecclesiæ ex vrbanitate facit; in quibus non inanes fabulas, sed verba sacræ lectionis audiri mandamus. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur; sic enim facientes clerici vel ad officium mortuorum, vel ad ferias solennes vocati laicos magis ædificabunt, quàm si absentibus eos detrahere, vel murmurari, vel obscœna verba interponere audierint: & quoties vltra sex fuerint ad mensam, omnino constitutio ista seruetur. Memores quoque sint semper præmissa benedictione ad mensam secundum ordinem sedere, altero alterum in honore præueniente: similiter post cibos gratiam Deo auctori referant ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur.

De conuiuijs Religiosorum. *Cap. XXVI.*

PROHIBEMVS etiam, ne religiosi, cuiuscunque ordinis, aut status existant, audeant in aliquo alterare constitutionem superiorem, qua cauetur, ne plura tribus fercula in aliquo conuiuio discumbentibus apponantur sub pœna, de qua ibi. Adijcientes, quòd in festo ecclesiarum suarum ad prandium laicos præter medicum, procurato-

ratorem monasterij, & duos, vel tres alios probos viros loci ipsius cultores non decet, admittant: tibicines autem, & buffones in refectorium, seu in claustrum nullo pacto introducant.

Quod nullus se absentet sine licentia Episcopi. Cap. XXVII.

STATVIMVS, quòd nullus absque nostra, vel Vicarij nostri licentia ab Ecclesia curata, cui præest, se per notabile spatium absentet, vel a ciuitate, & diœc. Veron. discedat: quam constitutionem tam curatos, quàm non curatos, & tam in sacris ordinibus, quàm in minoribus constitutos comprehendere intendimus; quum non bene conueniat episcopum tanquam patrem nescire, vbi chari, & dilecti filij sui morentur: & pastoris etiam intersit non ignorare, vbi, & in quo loco, & ex quo tempore oues suæ reperiantur, cum eiusdem nulla excusatio possit esse, si lupus eas comederit, & pastor ignoret, consuetudine forsan, & alijs in contrarium existentibus quibuscunque non obstantibus.

Quoad Curatorum residentiam satis prouisum est à Conc. Tridentino sess. 6. cap. 2. de reformatione; & sess. 23. cà. 1. item de reformatione; quibus in locis statuit Curatum ab Ecclesia sua abesse non posse, nisi ex veris, ac rationabilibus causis, per episcopum cognitis, & approbatis; licentia item in scriptis obtenta; & relicto Vicario idoneo per ordinarium approbando, cum debita mercedis assignatione. Quoad non curatos, declaramus constitutionem hanc seruari oportere, cum extra diœcesim decedendum est.

Quòd

Quòd debeat denunciari excessus clericorum, & de pœna non denuntiantium. Cap. XXVIII.

ET quoniam nos homines sumus, & vbique esse non valemus, & plerunque accidit, quòd grauia delicta per sacerdotes, clericos, & alias ecclesiasticas personas in ciuitate, & diœc. Veronensi, & in locis remotis committuntur, & a superiore ignorantur, quum prælati excessus corrigere debeant subditorum, & publicæ vtilitatis intersit, ne crimina maneant impunita, ne per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores, monemus omnes, & singulos beneficiorum quorumcunq; Rectores, Vicarios, & capellanos, & alios quocunque nomine nominentur, quatenus sub pœna xxv. librarum, quamprimum sciuerint, seu viderint clericum aliquem ea, quę gradui, & ordini suo minime congruunt, perpetrare, & aliqua ex supradictis, indecenter committere, si semel, & iterum fraterna correctione admonitus resipiscere noluerit, nobis, & officio nostro in termino dierum trium, vel quamprimum potuerit, denuntiare, notificare, & insinuare debeant, & teneantur, denuntiatoribus nihilominus promittentes, quòd non propalabuntur.

De prohibita cohabitatione clericorum, & mulierum. Cap. XXIX.

CVM à planta pedis vsque ad verticem non sit locus in mulieribus, in quo non sit paratus laqueus ad illaqueandum oculos hominum, ideo sacrorum Canonum dispositionibus inhærentes, prohibemus magis ex abundantia

dantia cordis loquentes, quàm quòd pro nunc necessariū sit, arbitrátes, & magis futuris casibus, quàm præsentibus prospicientes, quum per Dei gratiam nullus in ciuitate, & dioec.nostra ad præsens reperiatur, qui publicè, aut occultè (quod nos sciamus) concubinas teneat; quòd nullus clericus, siue in minoribus, siue in sacris ordinibus, vel in aliqua dignitate sit constitutus, fœminam aliquam alicuius sortis, seu conditionis, siue suspectam, siue non suspectam, ad habitandum secum in domibus suis admittere audeat, seu secum quomodolibet cohabitare permittat sine expressa licentia à nobis, seu Vicario nostro in scriptis obtenta, sub pœna quinquaginta librarum, quoties contrafecerit, incurrenda; in qua quidem licentia concedenda, præsertim circa eas mulieres, aliàs bonæ famæ, & in quibus naturale fœdus, aut alia ratio nihil patitur sęui criminis suspicari, nos non difficiles præstabimus. Si autem mulier illa fuisset, cum qua aliàs carnale commertium habuisset, sub pœna carceris ad arbitrium nostrum duratura. Diximus autem siue suspectam, siue non suspectam, quia intentionis nostræ est, optimè, & diligentissimè prius ventilare, quæ sit mulier illa, cuius vitæ, famæ, & opinionis; nam si esset aliqua, quæ iam libidinosis complexibus fuisset assueta, etiam si nunc esset septuaginta annorum, nullo eam pacto clerico cohabitare permittemus. Proinde omnes cuiuscunque generis clericos, & religiosos, siqui sunt concubinarij, monemus, vt concubinas ipsas expellant, & cum illis amplius commertium non habeant; nam qui suadente diabolo post trium dierum terminum præfatas concubinas publice detinere pręsumpserint, si beneficiati fuerint, pœnam priuationis beneficiorum suorum, quæ in ciuitate, & dioec.nostra obtinuerint, incurrant: si verò non beneficiati, tandiu in carceribus Episcopatus maneant, quandiu nobis visum fuerit, a quibus liberari

berari non possint, nisi prius xxv. ducatis solutis: quorum vna pars sit accusatorum, altera officialium detinentium; tertia vero pars societati sanctissimę Charitatis applicetur.

Tridentinæ synodi sess. 25. cap. 14. de reform. verba sunt hæc: Prohibet sancta synodus quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum ijs vllam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis, puniantur. hæc illa. pœnas autem constitutionis huius ad pœnas à synodo loco supra citato constitutas reuocamus.

Quòd non liceat locare partem domus mulieribus, aut viris vxoratis. Cap. XXX.

AD tollendas omnes peccandi tam occasiones, quàm suspiciones, statuimus, quod nullus clericus cuiquàm mulieri, neque viro vxorem habenti locet domus suæ partem aliquam: aut seruum, seu gastaldionem, vel negotiorum gestorem cum vxore domi secum teneat; aut tales in area, siue curtiuo prope ecclesiam, aut domum sacerdotis habitare permittat.

E DE

DE CELEBRATIONE DIVINORVM, ET ORDINIBVS ECCLESIASTICIS

TITVLO SECVNDO.

De calendario cathedralis Ecclesiæ ab omnibus recipiendo. Cap. I.

QVVM deformis videatur pars illa, quę suo toti non conueniat, quilibet iurisdictioni nostræ subiectus teneatur per totam Natalis Domini octauam singulis annis Calendarium, siue sanctorum Tabulam, iuxta ritum nostræ Cathedralis Ecclesiæ recepisse, vt sic omnes ecclesiarum Rectores, & Capellani,& alij clerici diœc. nostræ vnum,eundemque in psallendo Deo, dicendoque officium, teneant modum, quem a Cathedrali nostra Ecclesia cognouerint institutum : vt sic ecclesia illa, quæ cæterarum huius diœc. est mater, ecclesiasticæ dignitatis, vel rationis sit quoque magistra.

De commemoratione Sancti Zenonis. Cap. II.

ITEM ad honorem beati Zenonis,cuius precibus commendatam ciuitatem nostram pro certo habemus, hortamur omnes, & singulos ciuitatis nostræ clericos, vt in ferialibus,dominicis,& alijs diebus,quibus sanctorum suffragia implorantur, Diui quoque Zenonis in laudibus , & Vesperis, & in Missis, etiam in collecta, A cunctis, statim post Apostolorum Petri,& Pauli commemorationem,celebrent, subnectendo postea sanctos, ad quos singulorum deuotio se extendit.

Memi-

Meminerint omnes ediium esse proprium officium S. Zenonis Martyris, de quo recitãdo exijt S.D.N. Sixti V. pręceptũ, in hęc verba.

SIXTVS PAPA V. AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

REGI martyrum, Christo Domino, cuius uices quanquàm insufficientibus meritis, in terris gerimus, debitam in Sanctis suis præsertim martyrij Laureola decoris, laudem, & gloriam vbique reddi, & summopere lætamur, & ad eam præmouendam, augendamque libenter, cum à nobis petitur, Apostolici muneris partes interponimus. Itaque cum dilectus filius noster Augustinus tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis Veronen. qui ex dispensatione Apostolica Ecclesiæ Veronen. Præsul, & Pastor existit, tum pro sua peculari in Sanctum Zenonem martyrem, & Pontificem ipsius Ecclesiæ Veronen. olim, dum in humanis ageret Episcopum, nunc in cœlis Patronum deuotione, cum vt pijs dilectorum filiorum cleri illius ciuitatis, & diœcesis votis satisfaceret, proprium ipsius Sancti Zenonis officium tam diurnum, quàm nocturnum cum hymnis, antiphonis, responsorijs, & lectionibus eidem Sancto, eiusque festiuitati congruentibus, & accommodis sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito confici curauerit, illudque iam de mandato nostro per venerabilem fratrem nostrum Alphonsum Episcopum Tusculanum Gesualdum, ac dilectos filios nostros Nicolaum Sanctæ Cęciliæ Cremonen. ipsummet Augustinum Sancti Marci veronen. Vincentium Sanctæ Mariæ in Via titulorum presbyteros Montis regalis, ac Federicum Sanctæ Mariæ in Domnica Diaconum Borromeum nuncupatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Congregationis super sacris ritibus, & ceremonijs Ecclesiasticis præpositos, & per aliquot doctrina, & pietate præstantes viros ad id authoritate nostra delectos quàm diligentissimè examinatum, & seruata Breuiarij, & Missalis Roman. forma emendatum, & approbatum Apostolica authoritate per nos confirmari desideret; Nos humilibus ipsius Augustini Cardinalis, tam suo ipsius, quàm eiusdem cleri nomine nobis porrectis supplicationibus benignè annuere volentes, officium Sancti Zenonis martyris, & Pontificis sic, vt præfertur, examinatum, emendatum, & approbatum Apostolica authoritate tenore præsentium admittimus, & recitari permittimus, illudque seorsum ab ipso Breuiario Romano imprimi, & in ciuitate, & diœcesi prædictis vulgari, ac in eiusdem ciuitatis, & diœcesis Ecclesiis, & locis piis, tàm sæcularium, quàm regularium in vsum, & consuetudi-

nem ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo introduci poſſe indulgemus: præcipientes nihilominus vniuerſo clero, tam ſeculari, quàm regulari prædicto, iis ſcilicet, qui iuxtà ritum Breuiarii Romani diuinum officium perſoluunt, vt feſtum eiuſdem Sancti Zenonis martyris, & Pontificis annis ſingulis perpetuis futuris temporibus die xii. Aprilis, quæ ſi fortè infra Maiorem Hebdomadam occurrerit, in aliam diem poſt octauam Paſchatis Reſurrectionis duplici feſto non impeditam transferri volumus, ſub duplici, & prædicto proprio officio ſolenniter, & deuotè celebrent, ita vt omnes, & ſingulæ vtriuſque ſexus perſonæ Eccleſiaſticæ, tam ſeculares, quàm regulares dictæ ciuitatis, & diœceſis tantum, officium Sancti Zenonis huiuſmodi in eius feſto ſupradicto, vt præfertur, & alias iuxtà præſcriptum eiuſdem Breuiarii Romani recitantes perinde debito ſuo ſatisfaciant, ac ſi diuinum officium, iuxtà prædicti Romani Breuiarii formam, perſoluiſſent: nec deſuper à quoquam ea de cauſa illos moleſtari, vel perturbari poſſe decernimus. Non obſtantibus apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, quòdque fortè feſtum huiuſmodi in poſtremo editis Breuiario, & Miſſali Roman. reformatis non ſit adnotatum: ſtatutis quoque, & conſuetudinibus earundem eccleſiarum, & ordinum Regularium etiam Apoſtolica, vel quauis alia authoritate roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Nouembris. M D L X X X V I I I. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

I Ang. Papius.

Quòd Religioſi conforment ſe cathedrali Eccleſiæ in feſtis ſanctorum Epiſcoporum. Cap. III.

RELIGIOSOS etiam omnes, & Religioſas ciuitatis, & diœc. noſtræ, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſtant, tam ordinaria, quàm

quàm Apostolica authoritate astrictos, & astrictas esse decernimus ad habendum etiam apud se in suis sacristijs, aut choris prædictam sanctorum Tabulam, vt etiam ipsi (vt par est) cum de pane Veronensi viuant, Cathedrali nostræ Ecclesiæ se conforment in festiuitatibus celebrandis triginta sex Episcoporum Veron. sanctissimorum, qui in beatorum Catalogo relati sunt; quos Magnificam hanc Vrbem suis optimis institutis, ieiunijs, vigilijs, orationibus Domino consecrasse, adiuuisse, & quotidie clementiæ diuinæ commendare, & adiuuare non cessare, credendum est, faciendo officium duplex, & eorum festiuitates celebrando annis singulis, suis diebus, perpetuis futuris temporibus. Prædictæ quoque cathedralis ecclesiæ dedicationem die suo solenniter celebrent sub duplici officio; & similiter in ferialibus, dominicis & alijs diebus, vt supra sancti Zenonis, in laudibus, Vesperis, & Missis, commemorationem faciant.

Videant religiosi diligenter Sixti V. Pontificis maximi præceptum supra descriptum de recitando S. Zenonis martyris officio proprio.

De Indulgentia concessa celebrantibus, vt supra. Cap. IIII.

PRAEDECESSORVM nostrorum vestigijs inhærentes, nos quoque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, sanctissimorumque confessorum prædictorum meritis confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus diuinum officium modo præmisso celebrantibus, centum dies de iniunctis pęnitentiis in forma ecclesiæ consueta perpetuis futuris temporibus misericorditer in Domino relaxamus.

De reuerentia exhibenda, quando intrant in Ecclesiam ad diuinum officium. Cap. V.

QVEMADMODVM sæculi milites audito tubæ clangore arma sumentes, omni excluso torpore, ac ignauia, se ad prælium præparant, vt corruptibilem coronam accipiant, longe maiore diligentia, ac solicitudine clerici omnes nostrę Cathedralis Ecclesię (vt ab ea incipiamus) qui in dicta ecclesia residere, & diuinis interesse tenentur, vt incorruptam accipiant, dato campanę Squillæ horis competentibus signo, sese ad Deo psallendũ purgatis auribus præparare debent; & omnes in sacrarium, aut in alium condecentem locum prius conueniant, vnde omnes superpelliciis suis, siue cottis mundis induti, honeste postea egrediantur, & aliqua cum deuotione chorum intrent, reuerentiam genuflexo in medio chori altari magno facientes, singuli ad loca sua accessuri sine strepitu, atque tumultu; in quibus genuflexi orationem Dominicam dicant. Surgentes postea ad ea, quę sibi incumbunt exequendum, & siquis, eo tempore non conuenisset, qui tardus fuerit modo prædicto, aut in sacrario, aut in diuæ Helenæ, aut diui Ioannis sacellis, superpellicijs indutus chorum, vt prędictum est, intret, & ad loca sua accedat. In ecclesia autem Cathedrali nullo pacto quis audeat, aut induere, aut exuere se superpellitio.

Qua reuerentia stare debent in choro. Cap. VI.

HORTAMVR autem omnes, vt cum in choro fuerint, nominis, professionisque suę memores grauita-

tem

rem illam seruent, quam locus, & officium, & venerabilis sacramenti præsentia exposcunt, non cum alijs etiam de honestis confabulantes, seu colloquentes, non litteras, seu scripturas alias tunc legeantes. Et sicut oculi ancillę in manibus dominę suæ, ita eorum in circuitu mensæ domini astantium oculi, semper cum timore, & tremore ad præcelsum, & super omnia preciosum sacramentum, ibi supra altare magnum existens; in eo congaudendo lachrymantes, & lachrymando deuote gaudentes, gustantes, & videntes, quàm suauis est dominus, inuigilent, & studeant, vt diuinum officium, qua decet deuotione, celebretur, non cursim, aut festinanter, sed tractim, cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solenne, & feriale officium differentiam.

De officio punctatorum, et punctationum libro bis in mense præsentando: et quo animum ad residendum obligati residere debeant. Cap. VII.

SACRAMENTO astricti punctatores singulis mensibus de more deputati, fideliter, & personaliter, nisi iusta, & legitima causa, & per nos approbata eos excuset, munus iniunctum exequi debeant, nemini in hoc parcentes, quum talis remissio non ex eorum dispositione, & indulgentia, ad alicuius gratificationem, & obsequium dependeat, sed in animarum suarum præiudicium tendat, & in diuini cultus, quem potius augeri oporteret, diminutionem, & in residentium damnum, quibus non residentium portio accresceret; ad quod resarciendum tenentur de suo. Obseruentur igitur inuiolabiliter, & executioni debitæ mandentur omnes, & sin-

singulæ ordinationes, & statuta cum fratribus nostris dominis Canonicis edita, & edenda, tam circa chori interessentiam, & punctationes, quàm alias circa diuinum cultum: quæ in suis robore, & efficacia plenè permanere volumus. Punctentur quoque, qui ad canendum apti, ad lectorile non accesserint, vel qui e choro absque necessitate vrgente, ante finitum officium discesserint. Choristæ etiam, seu Hebdomadarij, quorum culpa scandalum aliquod in choro acciderit, quum tempore debito non adfue rint sibi incumbentia executuri. Quòd si Punctatores in aliquo præmissorum defuerint, vltra periurij pœnam, distributiones quotidianas per mensem pro qualibet vice ipso facto amittant;& nihilominus ad residentiam teneantur; per quos etiam, vt clarius de eorum fidelitate nobis constare possit,libros punctationum nobis,aut Vicario nostro præsentari bis in mense volumus,& mãdamus.Hortamur autẽ oẽs ad residentiã obligatos, vt nõ mercenariorũ instar,distributionum quotidianarum emolumento solum allecti, sed tanquàm filij Dei, qui stant in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, hilares pensum seruitutis suæ Domino persoluant: quia bonum est psallere nomini Altissimi, quum aliàs crimen mentalis simoniæ non euadentes, mercedem suam reciperent, Deo tamen vltra præmissa, de negligentia, atque omissione,& tepiditate rationem redditur, quum scriptum sit, Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.

De obedientia præstanda Magistro Ceremoniarum. Cap. VIII.

CVM inter cætera,quæ Dominus populo antiquæ legis cum colenti præcepit, vnum sit egregium,vt sacræ

cræ litteræ docent, obseruantia ceremoniarum, quam etiam Dominum ipsum frequentius præcepisse legimus, quæ sane cerimoniæ eò ampliore affectu à nobis obseruandæ sunt, quò nostra sacrificia, longè illis præstantiora sunt, quæ à patribus fiebant, teneantur igitur omnes Magistro ceremoniarum pro tempore deputando in ceremonijs, & modulis sibi ostensis obedire, tam præsentibus nobis, quàm absentibus: super quibus omnibus debite seruandis, alijsque ad Diuini officij prosecutionem, ac chori disciplinam spectantibus, Magister ceremoniarum, vel Magister chori facultatem habeat omnes in choro admonendi, si dicto stare noluerint, cum illi onus incumbat diligenter hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumspiciendi: & dictum Magistrum coartamus ad nobis fideliter referendū omnium, & singulorum, quicunque fuerint, insolentiam.

De officio Sacriste, seu Thesaurarij. *Cap. VIIII.*

SACRISTA non permittat ecclesiam defraudari debito numero Missarum; sed pro virili curet, quod omnes suas Missas, suis statutis diebus, & horis, & ad Altaria sua celebrent, prout in tabula in Sacristia affixa suo ordine continetur, negligentes nobis, aut Vicario nostro denuntiando. Item non permittat, quòd Sacerdotes celebraturi plures duobus apparati maneant pro vice in Sacristia: sed cum opus fuerit, per se, vel alium vocet celebraturum sacerdotem. Item caueat, quòd sępius in anno omnia linea paramenta munda fiant. Calices, patenas, & corporalia cum pallis, & suis manutergijs munda, & cādida teneat. Omnia altaria cum suis linteaminibus cooperienda curet, tela viridi desuper posita, & quando cele-

brandum erit in aliquo altari, per clericos deputatos ampullas præparatas cum vino, & aqua limpida, & luminaria portari faciat. Non permittat laicos, neque pueros, aut famulos per æstatem, aut hyemem ad ignem in Sacristia permanere, aut etiam Clericos tumultuando.

De officio eiusdem in designandis Introitibus, & Epistolis. Cap. X.

ORDINAMVS etiam, vt quoties communis de sanctis, vel pro mortuis Missa celebranda sit, semper in nostra Cathedrali ecclesia, & in conuentualibus, per Sacristam, in alijs per earundem Rectores, Introitus, Epistolę, & Euangelia, & cętera in Missa dicenda perscribantur: præter quæ tali die nulli sacerdoti Introitum, Epistolam, vel Euangelium, & alia mutare, liceat: nonnulli enim scandalizari etiam ex hoc solent, quum in vno loco eadem die varias Epistolas, ac Euangelia in Missis legi audiant. Discretus autem sit Sacrista, & alius, qui hoc onus incumbet, prout sibi videbitur quadrare, Introitus, Epistolas, Euangelia, & alia designet. Ad hæc memores sint omnes in sanctorum suffragijs, tam in Vesperis, quàm in Laudibus, & in Missis, Apostolorum commemoratione facta, sancti Zenonis commemorationem faciant, vt etiam supra statuimus.

Prouisum est huic incommodo per missale ex decreto Conc. Trid. reformatum, & Pii V. Pont. Max. iussu editum. prouidebitur etiam quotannis per Calendarium edendum, quo præscribetur, de quo sancto, quolibet die celebrabitur. officium Missa autem ab officio discrepare non debet.

De

De præuidendo lectiones in choro legendas. Cap. XI.

FINITIS Vesperis volumus, quòd omnes iuniores capellani, ad quos spectat lectiones ad Matutinas in choro dicere, statim conueniant coram illo, qui ad id deputatus fuerit: eoque præsente, & audiente quilibet legat lectiones per se mane sequenti in ecclesia legẽdas: & quod superius de lectionibus tantum dictum est, illud idem intelligi volumus de Epistolis, Euangelijs, & orationibus, & alijs in choro decantandis.

De officio deputati super lectionibus corrigendis. Cap. XII.

ITem ordinamus, quòd nullus in choro corrigat lectiones, nisi is, qui fuerit deputatus, ad cuius mandatum etiam lectiones finiantur.

In Breuiario reformato lectiones terminatæ sunt. Quare huic omnes se se omnino conforment.

De non ambulando per Ecclesias durante diuino officio. Cap. XIII.

CVM à Domino dictum sit, domus mea domus orationis vocabitur, deceatque domum Domini sanctitudo, vt cuius in pace factus est locus, eius auditus sit cum debita veneratione pacificus, & propterea in ecclesia cessare debeant confabulationes quælibet, quæ diuinum possent turbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offendere, ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi pec-

candi detur occasio, aut deprehendantur peccata commissi; omnes, & singulas personas ecclesiasticas monemus, quatenus post harum constitutionum publicationem non debeant, aut quouis modo præsumant, vel audeant per Ecclesiã Cathedralẽ Veronen. & aliàs spatiari, aut vagari, seu spatiãdo, aut vagando ambulare, durãtibus Missis, aut alijs diuinis officijs, aut prædicationibus, seu lectionibus.

Pius V. Pont. Max. Sãctæ memoriæ cõstitutione edita 6. Cal. Aprilis anno 1566. quæ incipit, Cum primum Apostolatus, innouat constitutionem Gregorij x. & statuta Concilij Trid. quoad honorem debitum in ecclesijs Deo deferẽdum inter cętera, hęc habet. Statuimus, & ordinamus, vt ad Ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis sanctissimum sacramentum adorent, ad nomen domini nostri Iesu Christi cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent. Nullus in dictis ecclesijs seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumue committat. Cessent vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcunque, quę diuinum officium perturbare possunt. Nullus intra ecclesias deambulare audeat, siue præsumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia diuina officia. Et paulò infra constituit pœnas ei, qui in ecclesijs, dum ibi Missæ sacrificium, & diuina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimum sacramentum irreuerenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut diuiná perturbet officia, facere præsumpserit; qui cum mulieribus impudicis, siue etiam honestis colloquium seculare habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, aut obscęnis verbis, vel signis vsus fuerit: & denique mãdat Ecclesiarũ superioribus, & custodibus, vt delinquentes admoneant, & in eis vetita fieri non permittant. locus autem Concilij à Pontifice citatus est sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missę, vbi sic habet. Ab Ecclesijs verò musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid miscetur; item sęculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, & dici possit.

De

Quando, & quomodo recedi debeat à Choro. Cap. XIIII.

FInita autem psalmodia redeant omnes in sacrariũ; aut in aliquem ex prædictis locis, vbi sacris vestibus, vel superpellitijs exuti sine strepitu templo egrediantur, & ad habitationes suas cum debita, & matura grauitate in Domino se conferant. Qui autem in Ecclesia Cathedrali superpellitium se exuerit, aut in ordine non steterit, vel quum ad sacrarium reuertũtur, vel quũ ad Altare Virginis pro cantando Alma, seu Salue, seu Regina Cęli processionaliter iuxta morem accedunt, pro qualibet vice in xx. sold. Veronen. condemnetnr.

De dicenda oratione dominica ante discessum à choro. Cap. XV.

CVm secundum sanctorum Patrum decreta istud semper obseruare placuerit, vt omnibus diebus & post matutinas, & uesperas oratio dominica à sacerdote proferatur, uolumus, & statuimus, quòd nullus dicto Salue, seu alia Antiphona pro Virgine, surgat, vel discedat de choro, nisi dicto submissa voce vno Pater noster. Aduertat autem vnusquisque, quòd cum flectere genua voluerit, non recedat à loco, in quo aliàs stabat, vel stare solebat.

Quoad recitationem orationis dominicæ seruentur rubricæ Breuiarij reformati à Pio V.

De

De gestando superpellicio, seu cotta. Cap. XVI.

CVM clericus primo instituatur per cottę impositionem, nullus clericus, cuiuscunque ordinis, vel gradus existat, maxime secularis, qui ex debito obligatus existit, aut vocatus fuerit ad interessendum Diuinis, & celebrandum illa, siue in funeralibus, siue in festiuis, tam in sancta congregatione cleri intrinseci Veronensis, quàm in alijs ecclesijs debeat illis interesse, aut illa celebrare sine cotta; ne forte videatur laicus diuina officia in Ecclesia ministrare.

De vexillo sanctiss. Crucis non deferendo ad processionem, seu funera per laicos, & viles personas. Cap. XVII.

ABVSVS quorundam tam regularium, quàm secularium sacerdotum, qui ad supplicationes, & funera sanctissimę Crucis vexillum per pesonas habitu laicali, eoque vili, & sordido indutas ante se deferri facere non erubescunt in dedecus ministerij clericalis, nuper nos excitauit ad huius abusus deformitatem tollendam, & vt signum viuificæ crucis, in qua nos docet Apostolus gloriari, congruè deferatur, prouidendum. Quocirca mandauimus, vt omnes Archipresbyteri, & Rectores quarumcunque Parochialium ecclesiarum ciuitatis, & dioec. nostræ, ac Capellani, & eorũ locatenẽtes, in Processionibus, & mortuorum exequijs incedentes, Crucem per clericum vestibus clericalibus, & superpellicio indutum deferri faciant: quum aliàs in Sacerdotali ministerio vexillum ordinis clericalis per alium deferri minime congruat, qui non sit in mili-

militiæ, & habitus identitatem assumptus. Quam constitutionem pro firmiori mentis nostræ argumento, & eius viridiori obseruantia hic repetere, & inserere voluimus: & eam sic repetitam, & insertam, ab omnibus, & singulis supradictis inuiolabiliter obseruari mandamus.

Ex prohibitis clericali statui quædam enumerantur. Cap. XVIII.

PROHIBITIONES sacrorum Canonum recensentes intimamus ciuitatis, & diœc. nostræ Veronesis clericis beneficiatis, ne ipsorum quispiam in Palatio communis Veronæ, aut alia curia seculari aduocare vllo pacto debeat; aut procurator esse alicuius Vniuersitatis, Communitatis, seu alicuius singularis personæ: nec officium publicum ibi exercere, nisi forte aduocaret pro suo proprio facto, aut ecclesiarum suarum, vel pro miserabilibus personis. Clerici non canes, aut equos, aut aues alant ad venandum, aut aucupandum: nec tabellionis officium exerceant: nec laicorum etiam Comitum, Ducum, Marchionũ, negotiorum gestores sint: non secularium rerum, aut villarum firmarij, aut conductores sint, vocationis suæ memores: nullius generis nogotiationem exerceant: contractus nõ ineant: nõ emãt: nõ vendãt: nõ permutẽt merca turã exercendo. His enim rebus intenti mendacijs, rixis, clamoribus omnia fora replent. rarò Missas, rarius officium celebrant: Dei cultum paruifaciunt: horum oratio, & supplicatio à Deo aurum quærit: horum mens cupiditatis vinculis astricta semper aurum, semper argentum videt: semper redditus computat: gratius aurum, quàm solem intuetur. Vsurarias, & simulatas conuentiones non ineant. Quòd si quis in contractu vsurario, aut simulato, aut in fraudem vsurarum confecto, aut aliàs illicito

con-

conuictus fuerit, præter restitutionem, ad quam de iure tenetur, pro prima vice in Duc. xx. puniatur. quòd si semel conuictus iterum conuincatur, ad beneficiorum priuationem, & ab officio suspensionem contra talem procedetur. In alijs contumaces nostro arbitrio puniendos reseruamus.

Secularia negotia fugienda esse clericis statuit Syn. Trid. sess. 22. c. 1. de reform. venationes vero, & aucupia sess. 24. c. 12. de refor.

Quòd celebrantes Missas debeant confiteri, & quando. Cap. XIX.

QVONIAM Sacerdotes illi miseri, qui manibus pollutis, oculis impudicis, ore venenato, corde impuro, nunquam casti, semper incesti ad Altare accedunt celebraturi, Christum iterum, quantum in se est, crucifigunt, angelos assistentes offendunt, & de singulari medicina sibi miserabiliter æternam damnationem acquirunt, ideo monemus omnes clericos celebrantes, vt singula hebdomada semel saltem sua peccata deuotè confiteantur, quod & sæpius vnusquisque facere debet, cum septies in die cadat iustus: & quotiescunque se in mortali peccato constitutum senserit, cuius conscientia læsus, non celebret potius, non habita copia sacerdotis, nisi forte causa vrgens, & necessitas immineat, quæ nisi graui cum scandalo nequeat præteriri; & tunc adsit contritio, & propositum confitendi. Non sacerdotes verò ter ad minus in anno temporibus à Canone designatis confiteãtur, & Eucharistiam sumant.

Et quotiescunque se in mortali &c.] conc. Trid. omnino seruandum est, quod sic habet sess. 13. c. 7. in decreto de Santissimo Eucharistiæ sacramento Ecclesiastica consuetudo declarat, eam proba-

tionem

tionem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à christianis omnibus, etiam ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo seruandam esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. Quòd si necessitate vrgente, sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur.

Non sacerdotes vero &c.] Meminerint clerici seminarij se ad frequentiorem confessionem, & communionem teneri ex decreto Conc. Trid. sess. 23. c. 18. de reformatione.

Qui verò sunt in sacris ordinibus constituti, sciant maxime decere, si saltem diebus dominicis, & solennibus cum altari ministrauerint, sacram communionem perceperint ex decreto Conc. Trid. sess. eadem c. 13. de reform.

Pœna negligentium confiteri. Cap. XX.

PORRO Clericum celebrantem, qui per sex menses, non celebrantem autem, qui per annum confiteri distulerit, beneficiorum redditibus per annum, & si biennio à tam salubri sacramento abstinuerit, beneficijs ipso iure priuetur; non beneficiati autem carceri ad tempus pro arbitrio nostro, aut Vicarij nostri moderatione mancipentur. In confessionibus autem faciendis, vt omnem prorsus scrupulum, & periculum propter multorum in eligendis confessoribus inconsiderationem remoueamus, constitutionem super hoc à nobis præteritis annis editam innouantes præsenti salutari statuto concedimus, & indulgemus vniuersis, & singulis sacerdotibus tam Cathedralis nostræ ecclesiæ, quàm aliarum licentiam, & facultatem eligendi sibi ex eorum numero, quos nos iam ad id muneris aptos, & idoneos approbauimus, quemcunque maluerint confessorem etiam non curatum, quotiescunque con-

fieri voluerint. Non poterunt tamen sic electi confessores à casibus nobis specialiter reseruatis absoluere, nisi speciali nostra, seu Vicarij licentia petita, & obtenta. Hoc insuper addentes, vt Clerici omnes non sacerdotes in Pascate saltem, illi presbytero, in cuius parochia manent, præsentare se debeant.

Intelligant sacerdotes nullum etiam regularem posse confessionẽ secularium, etiam sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus, ex Conc. Trid. sess. 23. c. 15. de reform. videant etiam notationes ad ca. 17. tituli 6. & caueant, ne in posterum non approbatis sacerdotibus confiteantur.

Adhortatio super electione Confessorum. *Cap. XXI.*

MONEMVS tamen, vt in eligendo confessore talem diligentiam adhibeant ad curandas animas suas, qualem, si ægroti essent, in eligendis ad corporum curam medicis adhiberent, immo maiorem, cum anima longè preciosior sit corpore; & vbi periculum maius intenditur, ibi proculdubio sit plenius consulendum, nec vllo pacto sine delectu confessoris non idonei, & per nos non approbati iudicio animas suas committant; ne sic fortasse, quum cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant. Eis etiam, qui inter lepram, & lepram discernere, & more periti medici vinum, & oleum vulneribus sauciati super infundere nesciunt, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, vt quid humeri sui ferre valeant, quidue recusent, & quemadmodum animarum cura ars artium sit,

prius

prius attendentes, in perditionem animarum suarum tanto oneri nequaquam se ingerant, si diuinam voluerint effugere vltionem; cum non sit sine culpa, qui rei, cui impar est, se immiscuerit.

De facienda vna generali confeßione. *Cap.* *XXII.*

QVVM bonarum mentium sit, ibi timere culpam; etiam vbi culpa minime reperiatur, salubrius, & rectius animabus suis consulent sacerdotes, si tutiorem viã eligendo, post huius concessionis intimationem matura delictorum suorum cum amaritudine recognitione pręmissa, idoneo sacerdoti per se electo generalem vnã confessioné fecerint; sic enim eorum obsequium altissimo famulando magis placebit, & eorum preces facilius exaudientur.

De Hoſtijs, & vino præparando. *Cap.* XX*III.*

HOSTIAS de mundissimo flore farinæ nihil aliud in eis immiscendo, ipsimet sacerdotes faciant, ac eas sæpe renouent, prout viderint expedire; & in sacrario semper sint præparatæ, sine quibus sacerdotes ad altaria non accedant; ne postea cum deuentum fuerit ad offertorium, & hostijs deficientibus cogantur cum populi scandalo expectare, dum hostiæ perferantur. Idem dicimus de vino, & aqua; quòd semper suas ampullas præparauerit sacerdos. Vinum autem sit purum, non agrestum, aut acetum, & tam vinum, quàm aquam semper de recenti habeant, cum Missam celebrare debuerint.

Hostias facere, & vinum, atque aquam præparare poterunt aut per se, aut per alios fideles ministros.

De Birreto super altari non ponendo. Cap. XXIIII.

ET vt in omnibus debita Deo reuerentia præstetur, renouamus edictum illud aliàs per Vicarium nostrũ factum, vt in diœc. nostra nullus clericus, aut sacerdos celebrando, aut non celebrando, birretum suum super altare ponere audeat, cum indecens sit minorem aliàs reuerentiam exhiberi mensæ immortalis Dei, vbi immaculati agni hostia patri summo offertur, quàm mortalis homunculi mensæ exiberetur: talia enim laicorum animos ad maiorem Dei cultum cum tremore excitare solent. Debet igitur vnusquisque Rector, vel Sacrista ad singula altaria aliquid vel ligni, vel ferri affigere, quò commodius birretum suum sacerdos celebraturus apponat.

Vt ad Missam duæ saltem candelæ accensæ sint. Cap. XXV.

QVVM scriptum reperiatur, ignis in altari meo semper ardebit, vt maiore fide, & deuotione, à fidelibus iustitiæ sol, qui est Christus Deus noster, candor lucis eternæ, veneretur, prohibemus, ne quis celebrare audeat, nisi cum duabus candelis accensis: quæ accensæ teneantur vsque post, Ite Missa est, & benedicto populo: & ad omnem auaritiæ notam, qua sacerdotes inuri solent, euitandam, statuendo prohibemus, ne in Missarum, cæterorumque Diuinorum officiorum celebratione candelarum frustis minoribus quatuor digitis, dupleriis, vel intortitijs palmo vno breuioribus vtantur.

Vsque ad finem Missæ candelæ accensæ retineantur ex Missalis regulis à Pio V. reformati.

Vt paramenta sint munda: & ne celebretur cum vino nigro, aut calicibus fractis, vel rubiginosis: & de lauandis calicibus, et inspiciendis corporalibus. Cap. XXVI.

VT per externi candoris speciem interior sacerdotum munditia denotetur, Hortamur & nos, sicut & sapiens hortatur, Omni tempore sint vestimenta tua candida, vt sacerdotes omnes superpelliciis, amictibus, albis, cingulis, manipulis, stolis, planetis, dalmaticis, seu tunicellis, pluuialibus, & omnibus alijs ad Diuinum cultum necessarijs vestibus, & paramentis candidis, & mundis, & integris, non autem laceratis vtantur. Nemo celebret cum vino nigro, seu rubro propter corporalia, & purificatoria, quæ ex nonnullorum sacerdotum negligentia, & incuria aliquando adeo sordida inueniuntur, vt aliquibus horrori sint, & nauseam celebranti facilè commouere possint. Et nimis absurdum videtur in sacris sordes negligere, quæ dedecent in prophanis. Nemo igitur corporalibus, aut purificatorijs immundis, aut sine debito tobalearum numero temere celebret: aut cum calice fracto, aut rubigine consumpto, sordido, ligneoue, aut ex alia materia per sacros Canones prohibita. Calices insuper sacerdotes saltem semel in hebdomada lauent: & illam aquam in piscina ponant. Corporalia quoque sæpe diligenter inspiciant, si adsint reliquiæ, aut fragmenta aliqua, quæ omnia cum maturitate tractent.

Vt

Vt sacræ vestes distinctæ sint coloribus secundum dierum proprietates.
Cap. XXVII.

ET quoniam secundum dierum proprietates Romana ecclesia sacras vestes distinguit, iccirco omnes illi animaduersione digna punientur, qui ecclesijs suis de omnibus illis paramentis, quæ in visitatione facienda iussimus, hactenus non prouiderint: studeantque omnes sacerdotes paramenta vniformia habere, non autem manipulum vnius coloris, stolam alterius, planetam diuersi coloris. Amictum etiam separati coloris: sicut in legalibus indumentis quatuor fuisse colores leguntur, ita hodie quatuor sunt principales colores, quibus secundum dierum proprietates sacræ vestes sunt in vsu habendæ, vt latius in ordine Missæ, quem pro sacerdotum commodo imprimendum curauimus, explicatur.

Quod attinet ad colores paramentorum, vestium sacerdotalium, & ad alias Missæ ceremonias seruentur quamdiligentissime regulæ Missalis reformati.

Vt quilibet beneficiatus habeat sibi inseruientem in altaris ministerio.
Cap. XXVIII.

PINGVIA beneficia possidentes sumptibus proprijs, tenuia verò litteras docendo, tam ex iuris communis dispositione, quàm ex apostolicis facultatibus nobis circa hoc concessis astringimus ad habendum clericum saltem

vnum in habitu clericali incedentem, qui sibi in diuinis ministret cum cotta munda, tonsura, & clerica. Quum absurdum videatur in altaris ministerio seruire aut vxoratos, aut pueros pannosos, in ciuiles sine caligis, & calciamentis. Qui autem permiserit per mulierem quamuis annosam, aut puerum cum birreto duarum plicarum, & capino sine cotta, aut hominem vxoratum in altaris ministerio sibi deseruire, grauiter pro arbitrio nostro punietur.

Qui pinguia habent beneficia, astringuntur ad habendum clericum, vt in constitutione præcipitur. qui verò tenuia, omni affectu moneantur à nobis, vt habere procurent.

Vxoratos] Nisi clerici sint: qua de re legenda est synodus tridentina sess. 23. c. 6. de reform.

Ne filij Presbyterorum inseruiant ministerio altaris, vbi pater est beneficiatus, vel celebrat. Cap. XXVIIII.

QVVM valde indecorum sit, & scandalosum, vt meretricis filius impudico patri in paternæ incontinentiæ testimonium in altaris officio ministret, in quo Dei, & Virginis vnigenitus pro humani generis salute æterno patri offertur immolatus, statuimus sacrorum Canonum vestigijs insistentes, quòd tales illegitimè nati nequaquam patri, neque cuique alteri in Ecclesia, in qua pater sacerdos, seu beneficiatus est, in altari ministrare permittantur.

Corroboratia est hæc constitutio decreto Conc. Tridentini sess. 25. c. 15. de reformatione.

Ne concubinarij permittantur celebrare. Cap. XXX.

PROHIBEMVS etiam vniuersis ecclesiarum Rectoribus, & eius locatenen. ne permittant clericos concubinarios, & sacerdotes de concubinatu suspectos, si qui forte reperiantur, in ecclesijs suis vllo pacto celebrare, aut officiare: tales enim celebrant in animarum suarum damnationem, & præiudicium animarum illorum, qui faciunt, & patiuntur eos celebrare, si quis enim eos admittere noluerit, saltem de facto rubore suffusi ad bene viuendum compellentur, & fames forte reducet eos ad Deum, sicut prodigum filium.

Legatur conc. Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

Vt Missa deuotè celebretur, & præuideatur. Cap. XXXI.

NONNVLLORVM Clericorum abusus constitutioni huic causam dedit, qui tanta indeuotione Missas celebrant, vt accedentes ad altare simiarum, ioculatorũq; speciem potius præferre videantur, non considerantes presbyterum, qui in altaris ministerio celebrat, ne minimum quidem motum facere, in quo profundum non lateat Mysterium. Ad hoc Missam ita ex abrupto, & impręmeditate, & quasi certatim auspicantur, vt tum irreuerentia, tum erroribus, quos impræuisa legendo committunt, populo diuina mysteria contemptibilia reddant: sintque magno deuotis mentibus scandalo. Iccirco ad talem tollendum abusum omnes ciuitatis, & dioec. nostræ sacerdo-

ſacerdotes hortamur vehementiſſimè, vt celebraturi Miſſam prius priuatè perlegant, & percurrant: vt de his, de quibus aut in conſtructione, aut prolatione dubitant, peritiores conſulant, ſuiſque adnotent ſignis, priuſquam ad altare accedant: ad quod, poſtquam acceſſerunt, ea, qua decet, reuerentia, à principio vſque ad finem ſacra myſteria peragant, lectiones, epiſtolas, & euangelia, & ſpecialiter ſecreta, & præcipuè conſecrationis verba integrè, & diſtinctè dicendo, gratias Deo agentes, quòd ſibi liceat, dum celebrant, Chriſtum videre, in orationibus alloqui, loquentem in Euangelio audire; dum leuant, & ſpecies frangunt, tangere; dum adorant, oſculari; dum ſumunt amplecti. Ad quæ omnia, vt facilius inuitentur omnibus Miſſam, antequam accedant ad altare, vt præmittitur, legentibus, & cum præmiſſa reuerentia celebrantibus xl. dierum remiſſionem de iniunctis pœnitentijs concedimus.

Vt omnes celebrent conformiter, prout habetur in ordinario. Cap. XXXII.

CVM Dei auxilio ſemper omnem facientes prouidentiam, vt ſacerdotes ab eius clementia curæ noſtræ traditi debitis cerimoniis Diuina officia perſoluant, vt poſt hac idem ab omnibus in celebrando ſtilus, & ritus ſeruetur, & ne de cætero tam in agendo, quàm in dicendis errent incaute, volumus, vt apud ſe omnes habeant ordinariũ Miſſæ ſecundũ ritũ Romanæ eccleſię pro ſacerdotum informatione traditum, & cura noſtra in illam commodã formam digeſtum, & materna lingua impreſſum: & illud in omnibus ſeruare teneãtur; vt ſic omnes ſaltem in ciuitate, & diœc. noſtra in celebrando conformes ſint, ſolet enim

sacerdotum in celebrando difformitas apud pias mentes grauia aliquando scandala generare. Intimantes etiam omnibus, & singulis de cætero ordinandis ad sacerdotium, quòd si vltra ea, in quibus examinati fuerint, in prædicto ordinario familiaritatem minimè habuerint, rubricas, & modulos illos memoriter tenendo, non ordinabuntur.

Rubricæ Missalis reformati seruentur ab omnibus accuratissimè: illas enim oportet esse in posterum normam conformitatis: quas qui ignorauerit, ad sacerdotium non promouebitur.

De Abluendis manibus Sacerdotum tam ante, quàm post sacrificium: & de labello, & aqua in Sacrario. Cap. XXXIII.

LAVAMINI, mundi estote, admonet propheta; vtque per munditiam corporis ad mentis munditiam inuitemur. Nullus ad ministrandum in altaris ministerio accedat, nisi prius manus decenter abluerit, quod à nonnullis sordidis intelleximus negligenter omitti. Mandamus propterea, vt in quolibet sacrario adsit labellum cum aqua, & manutergio; quod mundum teneatur, & sæpius immutetur. Laudamus quoque plurimum institutum illud, vt sacerdotes peractis solennibus ad secularia negocia diuertentes, ob reuerentiam sacrorum, quę tractarint, manus similiter abluant: memores quoque huiusmodi, sacra illotis manibus tractare semper plurimum dedecere.

Quòd

Quòd die Sabbati celebretur Missa beatæ Virginis. Cap. XXXIIII.

CVM Virgo Maria immaculata Dei genitrix ad fidelium salutem sit peruigil oratrix, & sedula apud saluatorem nostrum, quem ipsa genuit, dignum propterea, quin etiam debitum putamus, & ita hortamur, vt in omnibus ecclesijs ciuitatis,& diœc.nostræ Veronē. in qualibet die sabbati Missa de beata Virgine celebretur, nisi festum occurrat, aut dies habens Missam de proprio, vel aliter ab vniuersali Ecclesia fuerit ordinatum: quo casu fiat sola commemoratio de beata Virgine, si diei solennitas patiatur.

Quoniam paulò aliter ab Ecclesia ordinatum est in nouo Missali ex concilij decreto reformato, idcirco illius regulæ ad vnguem seruentur.

De Missa beatæ Virginis, quæ singulis diebus in Cathedrali Ecclesia cantatur. Cap. XXXV.

CVPIENTES & pro decentia diuini cultus,& vt deuotioni satisfiat complurimum fidelium, ac etiam,vt decreta sanctorum canonum obseruentur maximè in Cathedrali ecclesia,præsertimque in Missæ illius calebratione, quæ in honorem Virginis Mariæ singulis diebus in capella eiusdem beatissimæ Virginis in dicta Ecclesia summo mane cantari consueuit, ordinamus, & disponimus, vt Acolyti prædictæ ecclesiæ singulo die ea hora, in dicta Cathedrali Ecclesia se præsentent deuotè, ac decenter superpel-

licijs induti: & pro decentia diuini cultus, ac pro fouenda fidelium deuotione, à decantatione Sanctus in præfatione vsq; ad Agnus Dei sicut ipsi Acolyti sic induti genuflexi, ordinati super gradibus presbyterij; præcipientes, vt circa celebrationem, & decantationem tam prædictæ, quàm aliarum quarumcunque Missarum seruetur dispositio sacrorum Canonum concilij Maguntinen. & aliorum hac de re disponentium.

Ne celebretur in domibus priuatis, etiam sub prætextu maritorum, vel consanguineorum, & defunctorũ luctus. Cap. XXXVI.

QVVM tam diuina, quàm Canonica edoceant instituta, quàm munda, quàmque honesta debeant esse loca, vbi gloriosissimum illud Eucharistiæ sacramentum conficitur, ne igitur passim in domibus priuatis, & in locis prophanis, in cameris, vbi dormitur, matrimonialia exercentur, luditur, aliaque corporis necessaria peraguntur, celebretur, cum scriptum sit, vide, ne offeras holocausta in omni loco; omnibus, & singulis tam secularibus, quàm regularibus ordinis cuiuscunque præcipimus, & mandamus, ne vlterius celebrent Missas in locis non Deo sacratis; sine speciali nostra licentia, quam omnino requiri volumus, etiam si illi, apud quos celebraturi sunt, specialia sedis Apostolicę indulta habuerint, quum ad ea moderanda, & reformanda sufficiens à sede prædicta nobis, vt infra patebit, sit attributa facultas. Et vt sacerdotes facilius respondere possint importunis, sub luctus, vel alterius occasionis prætextu celebrari facere in domibus prophanis adhuc instantibus,

ſtantibus, eoſque doceant, quid in huiuſmodi agere debeant, nonnulla ex illis, quæ ſancti viri in hanc materiam ſcripſerint, placuit hic aſcribere, eorum verba recitando.

BASILIVS Magnus in regulis ſuis breuioribus, interrogationi cccx. quæ eſt, Nunquid in communi domo Dominica cœna debeat celebrari? reſpondendo ita ſcribit. Quemadmodum ratio non permittit, vt vas vllum commune in Sancta introferatur, eodem modo etiã vetat Sancta in domo communi celebrari, cum ex iuſſu Dei in veteri teſtamento nihil iſto modo fieri permittatur. Cum autem dominus dicat, pluſquàm templum eſt hic, & Apoſtolus, Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? Non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, & quæ ſequuntur: ſane admonemur, non debere nos neque communem cœnam in Eccleſia manducare, aut bibere: neque dominicam in priuata domo in contumelia habere: extra quam quis, cum neceſſitas poſcat, locum, ædemue elegantiorem deligat in tempore opportuno.

IDEM quoque ſanctus auctor in eo, quem facit de baptiſmo, tractatu dum oſtendit, quantum ad benè agendum domini præceptũ circunſtantia loci opportuna, & neceſſaria ſit, pulcherrimis dictis, atque rationibus docet, hoc tam nobile ſacrificium non poſſe extra ædes ſacras, & loca domino Deo dicata offerri ſine periculo damnationis.

SANCTVS etiam Antonius in ſua magna ſumma: par. 2. titulo ix. c. x. §. 11. ſic dicit. Quòd viduæ aliquibus diebus, vel Hebdomadis in morte virorum maneant domi in ſignum triſtitiæ, vnde & Miſſam non audiunt, videtur tolerandum, ſi eſt de more patriæ: ſed quòd maneant per integrum annum, vel per ſex menſes, excuſari non

poſſunt,

poſſunt, quia magna abuſio eſt. Maria Magdalena, & Martha, quæ nobiles erant, & diuites, cum eſſent in domo viſitatæ à pluribus ad conſolandum pro morte germani earum Lazari, audito, ꝙ Ieſus aduenifſet, exierũt domũ, vt irent ad eum: & Ieſus quidem tunc mortalis erat, nunc idem ipſe in ſacramento altaris eſt, & immortalis. Vnde cũ magno affectu accedẽdũ eſt ad ipſum, ſ. audiendo miſſã.

CONSVLTO ſilẽtio prętermimus tot decreta patrum, quibus iſtud cauetur, vno tamen, & altero contenti. De Conſe. diſt. prima in c. Sicut ſic, ſcriptum reperitur. Sicut non alij, quàm ſacrati Deo ſacerdotes debent Miſſas celebrare, nec ſacrificia ſuper altare offerre, ſic non in alijs, quàm in Domino conſecratis locis, ideſt in tabernaculis diuinis precibus à pontificibus delibutis, Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet, niſi ſumma coegerit neceſſitas. Satius eſt ergo Miſſam non cantare, aut non audire, quàm in his locis, vbi fieri non oportet, niſi pro ſumma neceſſitate contingat, quoniam neceſſitas legem non habet. vnde ſcriptum eſt, Vide, ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris: ſed in omni loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. In domibus tamen ab epiſcopis, ſiue presbyteris oblationes celebrari nullatenus licet. Item in cap. Nullus ea. diſt. Nullus presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in conſecratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe ſacerdotij.

PRAETERERA quid mirum, ſi in priuatis ędibus celebrandi licentia limitetur, ſi in illis veriſimiliter plerunque ea perpetrantur, ob quæ Eccleſię ipſæ, ac loca Deo ſacrata, ſi publicè contigerint, reconciliatione indigent, antequam quidem reconciliationem inibi celebrari non licet? Diſcant igitur omnes humiliter parendo magis mereri, quàm ambitioſe, quæ non conueniunt, quærendo, etiam ſi ex importunitate concedantur, demereri.

Ora-

Oraculum viuæ vocis super moderatione, ac reformatione confessionalium, &c.

Nos Marcellus, &c.

NOS MARCELLVS CERVINVS Miseratione diuina tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis. Fidem facimus, & attestamur, quòd sanctissimus in Christo Pater, & dominus noster dominus Paulus diuina prouidentia Papa tertius, cupiens saluti animarum, vti bonum decet pastorem, quantum cum Deo potest, salubriter prouidere, ac ex certis rationabilibus causis animum Sanctitatis suæ mouentibus Viuæ vocis oraculo super hoc nobis facto, voluit, & decreuit, quòd Missæ priuatę, quæ in ciuitate, & dioecesi Veronen. vigore confessionalium apostolicorum in dies celebrari continget, ad arbitrium Venerabilis etiam in Christo patris domini Ioannis Matthęi Giberti Dei gratia Episcopi Veronen. cuius fides, & erga diuinum cultum solertia, & studium eidem sanctitati suæ iampridem nota sunt, prout secundum Deum saluti animarum sibi magis visum fuerit expedire, moderentur, & reformentur, inobedientes per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris opportuna remedia compescendo. IN QVORVM fidem pręsentes manu nostra subscriptas fieri, & sigilli nostri, quo in similibus vtimur, appensione communiri mandauimus. Dat. Romæ in ædibus nostræ solitæ residentiæ die prima mensis Martij. M D XLII. Pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri Papæ Anno Octauo.

M. Car. S. Crucis in Hierusalem.

Synodus Trid.seff. 22. in decr. de obseru. & euitandis in celebratione Missæ; Ordinarij locorum episcopi non patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscunque peragi, &c.

Quòd Religiosi non celebrent extra ecclesias suas; et de diligentia in delectu mittendorum. Cap. XXXVII.

PRAECIPIMVS in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excómunicationis pęna, q̄ nullus Religiosus cuiuscunque ordinis, status, & conditionis existat, audeat, aut præsumat celebrare in aliquo loco extra eorum ecclesias, & Monasteria sine expressa nostra, aut nostri Vicarij licentia. Admonentes omnes Priores, & Guardianos, & Monasteriorum pręlatos; quatenus in termino xv. dierum ab harum constitutionum publicatione debeant denuntiasse apud officium loca, & ecclesias, ac hospitalia, in quibus ex antiqua locorum consuetudine soliti sunt celebrare sub eadem pęna. Prælati autem ipsi in primis diligenter considerent, quos extra monasteria sua mittant, & cum quibus associatos; quum plerunque hinc capta sit occasio per nonnullos animarum suarum prodigos plurima scelera perpetrandi, per quæ postea cum graui Dei offensa, & plurimorum scandalo monasterijs ipsis infamia est irrogata.

Præsumat celebrare &c.) Intellige ad longum tempus, & ordinarie: numquam tamen in Ecclesijs monialium, qua de re vide cap. 39. huius tituli.

A quibus abstinere debeant quoquomodo celebrantes extra proprias Ecclesias. Cap. XXXVIII.

STATVIMVS, quòd nullus sacerdos celebrans in Oratorijs priuatis, aut publicis intra limites parochię alienæ audeat pulsare campanas pro populo adunando, colligere oblationes, conferre sacramenta, aut quicquam aliud facere in parochialis ecclesiæ præiudicium, nisi speciali aliquo iure muniatur: secus facientes pro qualibet vice in libris x. condemnamus, & ad restitutionem emolumenti inde percepti Rectori parochiali faciendam teneri volumus.

Quòd in ecclesijs Monialium præter ad id deputatos nullus celebret Cap. XXXIX.

IN generali concessione emanata ex officio nostro, quòd aliquis Sacerdos celebrare possit in ciuitate, & diœc. nostra, semper ecclesias Sororum, & Monialium exceptas esse volumus: in quibus nullus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sub prætextu voti alicuius, vel alterius deuotionis celebrare audeat, nisi à nobis, aut Vicario nostro specialem circa hoc obtinuerit licentiam, etiam quòd generaliter sibi concessum fuisset, quòd in ciuitate, & diœc. Veronen. celebrare posset. Nullus ergo Cõfessor, aut Capellanus alicuius Monasterij, aut aliqua Abbatissa, Priorissa, seu Monialis sint adeo temerarij, quòd admittant aliquem sacerdotem ad celebrandum in suis ec-

clesijs, nisi prius ostensa licentia in scriptis circa hoc specialiter concessa: alioquin pro temeritate sua cæteris exemplo erunt.

Hanc constitutionem non modo approbamus, & innouamus, verum etiam sub pœna in ea expressa volumus obseruari ab omnibus inuiolabiliter. Quòd si quando aut absens esset, aut iusta causa impeditus ordinarius monasterij Capellanus, & moniales optarent, aut deberent Missam audire, nec posset facile peti licentia; in hoc casu pro semel, aut bis permittimus posse celebrare non obtenta licentia hos omnes, videlicet, Confessarios aliorum monasteriorum monialium: eos, qui de licentia ordinarij solent sermones facere ad moniales; eos item, quos confessarius monasterii illius approbauerit: eos denique, qui quadragesimum annum excedunt; dummodo cum monialibus non colloquantur.

De Confessoribus, & Capellanis Monialiū. Cap. XL.

QVVM autem in ecclesijs Sororum, seu Monialium Missæ, vel alia diuina officia celebranda erunt siue in Ecclesiarum ipsarum festis, siue alijs ferialibus diebus, vt seruari possit Missarum in prædictis ecclesijs celebrandarum tam numerus, quàm ordo, quem nos nuper præfigere coacti sumus, cupientes scandala, & vexationes, ac plurimorum malorum occasiones a dictis locis Christi sponsarum arcere, non possint Confessores, & Capellani sibi adinuicem deseruire, quoties eos vocari contigerit, nisi habita à nobis prius super hoc licentia speciali. Qui omnes Missarum, & aliorum Diuinorum celebrationibus peractis, sine aliquo colloquio habito cum aliqua ex Monialibus, sine tumultu, & strepitu ad propria domicilia reuertantur. Qui contrafecerit, pœnam supradictam ipso facto incurrat.

Cum

Cum necessariò celebranda erunt officia diuina in ecclesijs monialium, permittimus, vt sine alia nostra, seu Vicarii nostri licentia, possint eò conuenire Capellani, & Confessarii aliorum monasteriorum monialium; & reliqui omnes, de quibus mentio facta est in annot. ad ca. superius, modo colloquium nullum cum vlla monialium habeant.

Quòd diebus festiuis propria Ecclesia à Sacerdotibus non deserantur sine Missis. *Cap. XLI.*

QVVM aliquando Sacerdotes quosdam diœc. nostræ proprias ecclesias deserentes festiuis diebus, quibus Missa est de præcepto, ad alias sese ecclesias, vt earum festa honorent, celebrandi causa conferre solere intellexerimus, nos præfatam consuetudinem vtpote animabus perniciosam tollere intendentes, præcipimus omnibus Ecclesiarum Rectoribus, & Vicerectoribus, & Capellanis, ne dominicis, aut alijs festiuis diebus ecclesias sibi commissas sine Missa vllo pacto relinquant, sub hoc, vel alio prætextu, nisi accesserint ad Plebem, vel aliquam ecclesiam non distantem, vltra vnum milliare, & non habentem flumen in medio, ita vt verisimiliter populus suus ad Ecclesiam honoratam, vel aliam vicinam accedere, inibique Missam audire possit. Et hoc quandocunque facturi sint Sacerdotes, teneantur prius populo notificare, quemadmodum eo die ad talem locum celebraturi, Deo dante sunt accessuri.

De vna Missa diluculo dicenda; et qua hora festiuis diebus sit celebrandum; & vbi plures sunt Missæ, quo interuallo dicendæ. Cap. XLII.

VT hominum deuotio magis foueatur, & qui religiosi sunt, de virtute in virtutem eant, Statuimus, vt in omnibus illis locis, in quibus ordinariè sunt plures Missæ pro commoditate hominum, vna semper inferialibus diebus in dici crepusculo celebretur: vt qui postea ituri sunt ad labores suos, possint, si voluerint, eo cibo animos suos pascere, quo quidem tota die illa saturati, quicquid agant, sine offensa domini agere valeant, & tali bono fundamento iacto, ea tantum operentur, quæ Deo grata, & animarum suarum saluti vtilia sint futura. Festiuis verò diebus Sacerdotes vigilent, vt eo tempore celebrent, quo omnes facile ad ecclesiam conuenturi commodè venire possint, quod erit hora tertia, vel parum ante, vel parum post, & ita, qui laborauerunt, murmurandi occasionem non habebunt, quòd respectu nobilium, & ciuium, cæteri homines nimium grauentur. Ea autem semper consideratio habeatur, vt vbi duæ, seu plures sint Missæ, vna ita cum interuallo ab alia dicatur, vt vniuersus populus verisimiliter Missam audire possit, habita scilicet ratione eorum, qui domi relinquuntur, vt commodè possint primis domum reuertentibus, & ipsi ad Missam venire.

Ne celebretur in Oratorijs, & locis fraternitatum, dum celebratur in ecclesia principali. Cap. XLIII.

QVVM dominicis, & festiuis diebus teneatur parochianus in propria parochia Missam audire, grauiterque peccet, qui proprio contempto presbytero, aliò se confert, damnamus abusum illum apud istas laicorum fraternitates, vt in illis festiuis diebus conuenientes relictis principalioribus ecclesijs ea hora, qua in illis Missa cantatur, ipsi sua aperiant oratoria, cantentque sua populo officia, ita vt ecclesiæ populi multitudo subtrahatur: quum enim Curatos ipsos Euangelium, Antoninam, & alia ad animarum salutẽ necessaria populo explanare oporteat, festa, & ieiunia indicendo, &c. vt infra mandamus, laici parum religiosi, qui super Dei verbo, quod est animæ cibus, nauseant, libentius ad huiusmodi loca, in quibus hęc omittuntur, potius pro cerimonia quadam, quàm pro vero Dei cultu accedunt. Volentes igitur huic morbo occurrere, præcipimus huiusmodi fraternitatum gubernatoribus, sindicis, & capellanis, ne dum principalis Missa in Ecclesia, in cuius parochia, vel ambitu est dictarum fraternitatum oratorium, legitur, aut cantatur, ipsi audeant Missam, aut aliquod officium cantare, aut cantari, vel aliter celebrari facere: quinimmo fraternitatum prædictarum Capellani vnà cum Curato in decenti, honestaque veste, ecclesiasticoque habitu, videlicet superpellicio ad publicam Missarum, Vesperarum, Matutinarum, quando decantabuntur, celebrationem conueniant, & ipsum Curatum ad officiandum, & cantandum adiuuent, vt eorum exemplo populus ad deuotionem excitetur, & cum maiori cetu, & reuerentia diuinum officium celebretur; quo peracto, vel etiam ante

ante, si parochiali presbytero ita magis expedire visum fuerit, dictarum fraternitatum Capellani Missas suas, & alia diuina officia incipere, & vsque in finem deuotè poterunt perficere.

Teneatur parochianus,&c.] Legatur pro hac obligatione Conc. Trid.sess.22.in decreto de obseruandis,& vitandis in celebratione Missæ:cuius hæc sunt verba, Moneant eundem populum,vt frequenter ad suas parochias saltem diebus dominicis,& maioribus festis accedant.& sess.24.cap.4.de reform.Moneat episcopus populum diligenter,teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse,vbi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

De nouis fraternitatibus non instituendis. Cap. XLIIII.

QVONIAM experientia docente didicimus, nouas fraternitates plerunque parochialibus ecclesijs, ac ipsarum Rectoribus præiudicium generare, & ex multiplicatione confratriarum sæpe monopolia oriri, & quæ in vsus pios consumenda sunt, in crapulam conuerti: siquidem dies festos confratriarum non aliter quidem se confratres dignè celebrare putant, nisi commessationibus, & ebrietatibus deseruiant. Iccirco prohibemus, ne de cætero sine expresso nostro consensu, & approbatione, quæcunque nouæ fraternitates admittantur, volentes, quòd iam factis, & à prædecessoribus nostris approbatis, in nullo præiudicetur, dummodo terminis suis contentæ existant, & eorundem capitula per nos, aut prædecessores nostros fuerint approbata: quæ etiam seruari omnino debent: Mandantes curatis, vt ea semel saltem in mense præsentibus confratribus legi procurent: prohibentes omnino illas conuenticulares commessationes, maxime diebus

bus festis illarum confratriarum,& ex denarijs earundem faciendas, seu soluendas.

De nouis capellis, & oratorijs non erigendis: & pœna in illis celebrantium. Cap. XLV.

PRAESENTI constitutione declaramus, vt iuxta canonicas sanctiones nullus in parochia erigat, vel erigere patiatur nouas ecclesias: vel post hac miraculum de nouo factum prætendat: vel in campis statuas erigat prætextu noui miraculi cum truncis, ad quos pecuniæ reponantur, sine licentia nostra: quum populus nouitate gaudeat, & soleat aliquando leui assertione miraculorum ad vnum, & alterum locum populariter concurrere: & candelas, & alia vota offerre: quo fit, vt matrices ecclesiæ debitis fraudentur honoribus: & sæpenumero falsa pro veris in his locis publicentur. Volentes itaque credulæ simplicitati nobis commissæ plebis consulere, & nouis, impudentibusque hominum mente corruptorum ad quæstum occasionibus obuiare, mandamus, vt Rectores parochialium ecclesiarum, vbi similia attentantur, infra xv. dies à die talis nouitatis factæ, & publicatæ computandos ad nos, vel Vicarium nostrum deferant: vt cum causæ cognitione, quod iustum erit, decernere possimus. Et si Rector, in cuius parochia,& plebe fuerint huiusmodi erectæ ecclesiæ, vel quid ex suprascriptis attentatum,nos certiores non fecerit, lapsis quindecim diebus prędictis,aut quis presbyterorũ in huiusmodi ecclesiis de nouo erectis ausus fuerit celebrare, graui pœnę subiacebit.

Miraculum de nouo factum,&c.] Syn.Trid.ſeſſ.25.in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquijs ſanctorum, &c. ſtatuit ſancta ſynodus nulla admittẽda eſſe noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo.

De nouarum Miſſarum celebratione. Cap. XLVI.

PROHIBEMVS etiam, ne quis ſiue ſecularis, ſiue religioſus ſit, etiam ſi per nos ad ſacerdotium ordinatus fuerit, audeat ſuam primam Miſſam celebrare, ſine noſtro, aut Vicarij noſtri conſenſu, ſub pœna xxv. librarum. Item prohibemus tam in Miſſarum nouarum, quàm Euangeliorum decantatione, choreas, ſiue tripudia fieri: aut ludos taxillorum, vel cartarum, aut conduci tibicines, & alios ſonatores pro ſonando, aut ad Miſſam, aut ad conuiuium. Qui autem huiuſmodi mandatis non paruerit, pœnam carceris eo facto incurrat: cui etiam pœnę ſubiacere volumus eum, quicunque fuerit, cuiuſcunque ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterit, qui tantum ſacrificium extra eccleſiam in cimiterio, aut platea, aut loco aliàs prophano celebrare nobis irrequiſitis auſus fuerit.

Permittimus religioſos primam Miſſam celebrare ſine noſtra licentia; modo ſint bene docti ceremonias, & id faciant cum bona venia ſuperiorum ſuorum. Præterea quę in hac conſtitutione merito prohibentur in nouarum Miſſarum celebratione, legant etiam, & vitent noui ſacerdotes, quæ vetantur à Concilio Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſeru. & euit. in celebr. Miſſæ, vbi ſic habet. In primis quod ad auaritiam pertinet, cuiuſuis mercedem conditionis, pacta, et quiquid pro Miſſis nouis celebrandis datur: nec non importunas, atque illiberales Eleemoſynarum exactiones, potius quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certe à turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant ordinarii locorum epiſcopi.

De

De Musicis sonis, et cantibus in celebratione diuinorum. Cap. XLVII.

QVVM in diuinæ laudis officijs, modesta psallentium grauitas placita modulatione decantare debeat, nam in ore eorum dulcis resonat sonus, in ecclesijs autem musici cantus prætextu non sunt audiendæ publicæ cantilenæ, & lasciuæ, neque in tragediarum modum guttur, & fauces medicamine sunt leniendæ, ne dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, curent sacerdotes, & clerici, sic suos cantus instituere, vt modesta, honestaque psallendi grauitate, placidaque, & grata modulatione sic audientium aures deliniant, vt prouocent, excitentque ad deuotionem, compunctionemque, non lasciuiam, cordisque, aut animi titilationem. Si quis autem contrafecerit, suspensionis ab officio pœnam per octo dies iuxta formam Fe.Re.Ioannis PP. XXII. incurat.

Approbata est hæc constitutio à synodo Tridentina sess. 22. decr. de obseru.& euit. in celebratione Missæ, his verbis, Ab ecclesiis verò musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid miscetur, episcopi arceant.

Quomodo curati debeant ignotos, vel notos presbyteros ad celebrandum in suis ecclesiis recipere. C. XLVIII.

QVVM nonnulli ad diuersas mundi partes se conferant, gerentes se pro clericis, cum sint laici, vel aliàs ignari, infames, excommunicati, aut irregulares, vel ab ordinarijs propter suos graues excessus banniti, inhibemus

omnibus ecclesiarum Rectoribus, ne in ecclesijs suis ad celebrandum ignotos sacerdotes admittat, nisi per nos examinati, aut approbati fuerint, & licentiã à nobis obtinuerint, postquàm de eorum legitima ordinatione constiterit, & absentiæ suæ causa à ciuitate, & diœc. propria per nos approbata fuerit. Prædictæ autem licentiæ nulla fides habeatur, nisi cancellarij nostri manu sit subscripta, & nostra, aut Vicarij sigillo munita. Cum qua etiam non admittatur, qui in habitu clericali non fuerit: solent enim complures pro ea tantum vice in Clericali habitu sibi forsan commodato conspectui nostro se præsentare: & licentia obtenta, habitum postea gerere more secularium. In notis autem, & cognitis, vndecunque ipsi sint, prædicta volumus obseruari cum hac moderatione, si ad celebrandum vltra octo dierum spatium sine nostra, aut Vicarij nostri licentia fuerint ab ipsis Rectoribus tolerati: aliàs tam recipiens, & tolerans, quàm receptus, siue notus, siue incognitus sit, pœnam grauem incurrat: & credatur accusatori, si sit bonæ famæ, cum iuramento, & quilibet sit accusator.

Confirmatur hæc constitutio Conc. Trid. sess. 22. decr. de obseru. & euit. in celebratione Missæ, his verbis: Deinde, vt irreuerentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat.

Moderatio licentiarum presbyteris ad celebrandum in alienis ecclesijs concessarum. Cap. XLIX.

MONEMVS autem omnes Capellanos, qui à nobis licentiam siue pro celebrando tantum, siue pro celebrando, & animarum curam exercendo in vno loco de-

terminato obtinuerit, quòd si contigerit eos de locis illis, de quibus in suis licentijs à nobis obtentis fuerit facta mentio, discedere, de nouo sese conspectui nostro præsentare pro obtinenda licentia de celebrando tantum, vel de celebrando, & animarum curam exercendo, debeant; & sic fiat toties, quoties de vno loco ad alium transitum fecerint: vt & nos mentem nostram informare possimus, ex qua causa nolint, seu non possint amplius in vno loco permanere: & cui imputari debeat. Quem enim in vna ecclesia idoneum, seu saltem tolerabilem pro loci qualitate, & sacerdotum penuria reputauimus, in alia maioris momenti ne quaquàm admitteremus.

Quòd nullus admittatur ad celebrandum, seu habitandum in oratorijs sine expressa licentia.

Cap. L.

INSVPER præcipimus Sacerdotibus omnibus ciuitatis, & diœc. nostræ habentibus oratoria, vel capellas infra confines, & limites parochiarum suarum, quatenus non admittant aliquem ad habitandum in dictis locis, sine nostra expressa, & in scriptis habita licentia, siue sit sacerdos, siue laicus, siue conuersus, siue professus, siue Heremita, & quocunque nomine censeatur.

Ne intra ecclesiam arma deferantur.

Cap. LI.

MANDAMVS in virtute sanctæ obedientiæ omnibus celebrantibus in ecclesiis ciuitatis, & diœc. nostræ, quatenus moneant inter missarum solemnia, & in con-

cionibus parochianos, ne arma deferant in ecclesias, aut ea deponant iuxta valuas ecclesiæ: experimento namque compertum est, ob armorum vicinorum commoditatem, homicidia, & cædes in ecclesia fuisse perpetrata: & in decorum admodum videatur, vt coram pacifico Rege, cuius in pace factus est locus, armati compareant, & thuris loco fumum cordularum accensarum, & pulueris tormentarię emittant. quòd si parere neglexerint cum scandaloso contemptu; nequaquàm Clerici celebrare præsumant, sed vel per litteras, vel per se omnia ista exorbitantia nobis significent.

Quòd Sacerdotes non celebrent, nisi omnes steterint cum debita reuerentia. Cap. LII.

INSVPER mandamus Sacerdotibus ciuitatis, & dioec. quòd si factis admonitionibus suis, Parochiani, alij ve præsentes noluerint in ecclesiis tempore diuinorum cum debita reuerentia stare, nullo pacto celebrent. Quòd si nobis non paruerint, grauiter, quicunque fuerint, castigabimus. Volumus autem, quòd in ecclesiis masculi sint separati à mulieribus: & in ecclesijs maneant, non autem extra ad ostia, modò hanc mulierem, modò illam vexantes. Item quòd non maneant ad pilas aquæ sanctæ: aut adhæreant fonti Baptismali, aut sacris altaribus, super illis, incumbentes: contra quos in sacris litteris scriptum inuenitur, Quisquis externorum accesserit, occidetur. Item quòd non deambulent, seu spatientur per ecclesias tempore Diuinorum.

Conc.

Conc. Tridentinum sess. 22. decr. de obseru. & euit. in celebrat. Missæ de reuerentia in audienda Missa sic ait, Non patiantur episcopi sanctum hoc sacrificium peragi, nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu, declarauerint se mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non solum corpore, adesse. Circa deambulationem legantur annotationes ad cap. 13 tituli huius.

Quòd tabernarij non recipiant aduentores ad discumbendum, dum diuina celebrantur. *Cap.* LIII.

PROHIBEMVS omnibus tabernarijs, & hospitibus, cuiuscunque sint conditionis, vt nullum in diebus dominicis, & solennibus eo tempore, quo diuina celebrantur officia, vesperæ, Missæ, nec non quando contigerit prædicationem fieri populo, in suis hospitijs, & tabernis recipiant; nec quicquam tunc cibi, aut potus administrent, nisi duntaxat necessitatis tempore, aut peregrinis transeuntibus, & aduenis; & curatos omnes, vt ista sæpius populo nuncient, subditosque suos cogant obseruare, monemus.

Quòd circulatores sileant. *Cap.* LIIII.

ET quia sæpius, dum diuina in ecclesiis celebrantur, circulatores, præstigiatores, pharmacopolæ, & ciurmatores publicè in plateis cantant, ita vt populus nugarũ auidissimus, eorum pernitiosa garrulitate à Diuinorum auditione retrahatur; mandamus sacerdotibus omnibus, quòd nullo pacto permittant huiusmodi homines, dum Diuina in ecclesiis celebrantur, cantare, vendere, aut quicquàm aliud facere, quo populum detineant.

Si per se impetrare non potuerint Curati, vt tempore diuinorum officiorum, & concionum, conticescant istius generis homines, nos admoneant, vt implorare possimus auxilium brachij secularis.

Ne mendici per ecclesiam vagari permittantur. Cap. LV.

ITEM iniungimus sacerdotibus omnibus, & religiosis; quod non permittant quæstores, & mendicantes, cuiuscunque sint conditionis, per ecclesias vagari; & maximè dum Diuina celebrantur officia.

Si cui videtur hæc constitutio seuera nimis, & contra caritatem, is legat Conc. Trid. sess. 22. decreto sæpius citato, vbi vult arceri ab ecclesia strepitus, & clamores. legat item constitutionem Pij V. commemoratam ad cap. 13. titu. 2. vbi inter cætera spectantia ad ecclesiarum reuerentiam, hæc habet, Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad valuas ecclesiarum stare faciant, sub pœna &c. & infra. Religiosis etiam claustralibus, siue regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt in ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales eiiciat; & si negligentes fuerint, grauissime ab ordinario corripiantur &c.

De ordinationibus clericorum. Cap. LVI.

DOCTORIS gentium dicentis, Nemini citò manum imponas, salubri, sanctissimaque doctrina præmoniti monemus omnes, & singulos ciuitatis, & diœc. nostræ, qui ad aliquem ordinem promoueri desiderant, quatenus per xv. dies, postquam per affixionem edicti super valuis nostræ cathedralis ecclesiæ intellexerint, nos generalem ordinationem ad omnes ecclesiasticos etiam sacros, & presbyteratus ordines Domino concedente, velle tenere, no-

nobis, aut Vicario nostro se præsentent, nomina sua, & cognomina cãcellario nr̃o annotãda daturi, ac auditure, quo die accedere debeant ad se debito examini subjciendum; Volumus autem per tãtum tempus ante diem ordinationis nobis præsentari, vt plenè desuper ordinandorum vita, moribus, conuersatione, ætate, genere, patrimonio nos informari valeamus. Nihilominus eosdem sic monitos, quòd nisi in dictis terminis, vt præfertur, comparuerint, ad ordinationem à nobis tunc minimè admittentur.

De dimissorijs petendis. *Cap. LVII.*

SI quando nos absentia, aut occupatione aliqua ordinationem tenere non posse contigerit, omnibus dimissorias litteras cupientibus, vt ab aliquo Antistite communionem sedis Apostolicæ habente ordinari valeant, significamus, quòd per simile temporis spatium ante similiter nobis, aut Vicario nostro se personaliter præsentent, dictas dimissorias litteras impetraturi: vt possimus, etiam cum dimissorias concedimus, super præmissis, ætate, litteratura, moribus, beneficio, seu patrimonio inquirere, seruareque diligenter dictas solennitates, perinde ac si nos ipsi ordinaremus: sic enim cautius incedemus: tutioresq; erimus in reddenda ratione Deo, quàm ordinantis conscientiam aliter onerando. Qui autem infra dictum terminum personaliter non comparuerint, nullo pacto dimissorias litteras impetrare se posse confidant.

Quòd ordinandi præsententur ab aliquo probo viro. *Cap. LVIII.*

QVVM autem turpe videatur, vt quis præsumat se temeritate propria præsentare ad petendũ, quòd ordi-

ordinari debeat, Volumus, quòd nullus admittatur ad ordines sacros nisi præsentetur ab aliquo honesto sacerdote, seu parochiano suo internam notitiam ordinandi habente: qui iureiurando fidem faciat nobis, præsentatum non habere aliquos defectus occultos, quibus arceri posset ab ordinatione, si detegerētur, verbi gratia iuret ipsum bonis moribus esse præditum, & honestæ conuersationis, liberum, legitimo natum matrimonio, sanæ mentis: non epilepticū, non simoniacum, non homicidam, non percussorem, non rixosum, non bigamum, non abstemium, &c.

Pœna præsentantis indignum. Cap. LIX.

ET ne contra tam salubre institutum fraus aliqua procurari possit, quicunque nobis pręsentauerit ordinandum, incurret pœnam grauem, si postea apparuerit præsentatum laborare aliquo ex defectibus prędictis, super quibus ipse iurauit: nisi fuissent ita occulti, vt potuissent probabiliter ignorari ab homine habente notitiam de pręsentato: & ipsum ordinatum ex tunc, prout ex nūc. & è conuerso suspendimus ab ordinis sui executione, grauiore etiam pœna, si nobis visum fuerit, in eum animaduersuri.

Contra obtinentes dispensationes, & facientes se ordinari extra diœcesim. Cap. LX.

QVVM nonnulli reperiantur, qui suę ignorantię, aut incapacitatis, aut delictorum cōscij fugiunt examē nostrum, non sperantes se esse à nobis promouendos, nisi mutatę vitę tale nobis specimem pręseferant, vt eos absq;

Vlla nostrę conscientię scrupulo ordinare possemus:& alia confugiunt, vel vt ad omnes sacros ordines, etiam presbyteratus se promoueri faciant, vel litteras surreptitiè obtineant, vigore quarum nobis inconsultis à quolibet Antistite faciunt se ordinari, mandamus omnibus ecclesiarum Rectoribus nobis subditis, & pręcipimus, ne taliter ordinatos in suis ecclesijs ad Missarum celebrationem, aut ad alterius alicuius ordinis executionem recipiant, nisi prius eorum litteras per nos, aut Vicarium nostrum cognouerint fuisse approbatas, notificantes omnibus, & singulis, qualiter Fe.Re. Clemēs PP. VII. nobis indulsit, quòd nullus de dioec. nostra possit se facere ad aliquem ordinem promoueri extra dioecesim nostram, vel etiam in dioec. ab alio Episcopo sine licentia nostra: neque etiam sub pretextu litterarum à sede Apostolica, aut sacra pęnitentiaria emanatarum. Et quòd taliter ordinati, quo ad ordinum exercitium habeantur pro penitus non ordinatis, quamquam id iam sit omnibus notorium, Breuis scilicet tenore iamdudum, & pluries publicato.

Nisi prius eorum litteras, &c.] Hæc cautio minus necessaria est hoc tempore, cum à concilio Tridentino sit prouisum, ne quis ordinetur ab alio, quàm à suo episcopo, aut de sui episcopi licentia. Quòd si quis prætenderet se contra concilij decreta ordinatum esse ex apostolicæ sedis dispensatione, tunc nobis reseruamus iudicium de litteris apostolicis, num sint surreptitiæ, nec ne.

Notificantes omnibus, &c.] Quod clemens vij. huic episcopo concessit, decretum est à Conc. Trid. sess. 6. c. 5. & sess. 14 c. 1. 2. 3. & sess. 23. c. 8. in decretis de reformatione, propositis pęnis grauissimis vt illis in locis videre est.

Taxa salarij Notariorum super ordinibus Cap. L X I.

AD omnem remouendam fraudem, simoniacæque labis suspicionem, nulla inter ordinem, & ordinem, etiam inter minores, & sacros ordines facta differentia, volumus, & ordinamus, quòd solutis quadraginta marculis Cancellario, seu Notario nostro pro carta, cordula, & capsula, ac cera pro qualibet Bulla; siue tantum vnum ordinem, seu omnes continente, nihil aliud vltra ab ordinato Cancellarius ipse petere, aut etiam sponte oblatum accipere audeat. Quam taxam congruentem fore iudicamus, cum nullum aliàs stipendium habeat de publico pro scriptura ordinationem attestante, adempta eidem omni facultate cogendi ordinatos ad talis scripturæ receptionem. Quòd si secus factum fuerit, tam in petendo, quàm in recipiendo, nostram non effugiet vltionem.

Seruetur quoad notariorum, & cancellarii mercedem decretum Conc. Trid. sess. 21. c. 1. de reform.

Quæ in superioribus capitibus de ordinatione clericorum, & ordinandis dicuntur, si quidquam à synodi Tridentinæ decretis discrepant, ad ea sunt omnino reuocanda: quibus nos inhærere percupimus: permulti autem sunt loci, vbi de hac re synodus agit: qui omnes legendi sunt, præcipue verò sess. 6. cap. 5. sess. 14. cap. 1. & seq. sess. 21. cap. 1, & seq. sess. 22. cap. 4. 12. &c. sess. 23. cap. 1. & seq. de reformatione. Seruabitur etiam per nos constitutio S. D. N. Sixti V. edita contra clericos male promotos, &c. quæ incipit, Sanctum, & salutare.

Quod

Quòd beneficiati promoueantur ad ordines debitos, aut doceant de dispensationibus. Cap. LXII.

CVm iuxta Canonicas sanctiones hi, qui ad regimen parochialium, & aliarum ecclesiarum, & beneficiorum animarum curam habentium, dignitatumque, & personatuũ sunt assumpti, intra anni spatium se facere ad sacerdotium promoueri teneantur, statuimus, & ordinamus, vt omnes, & singuli clerici beneficia curata, seu aliàs sacros ordines requirentia ciuitatis, & dioec. nostræ habentes, sub eorundem beneficiorum priuationis pœna se infra anni spatium ad gradum sacerdotij, & ad omnes ordines, quos eorum beneficia exigunt, & requirunt, promoueri faciant: aut nos, vel Vicarium nostrum de dispensatione Canonica infra primum dicti anni mensem legitimè informent.

Seruetur Conc. Tridentinum, quod hac de re decernit sess. 22. c. 4. & sess. 24. c. 12. de reformatione.

De ostendendis titulis beneficiorum. Cap. LXIII.

STATVIMVS, vt quilibet obtinens beneficia, dignitates, vel officia quæcunque ecclesiastica, secularia, aut regularia, nec non præstimonia, aut portiones clericales, in titulum, vel commendam, ad collationem, institutionem, seu aliam prouisionẽ nostrã spectantia, teneantur sub pœna priuationis dictorũ beneficiorũ, dignitatũ, officiorũ, & portionum, ac iurium in eis, vel ad ea quomodolibet competentium infra duos menses in ciuitate, & tres in dioec.

qui nunc sunt, ab harum constitutionum publicatione: qui erunt in futurum, à die factarum eis collationum, & prouisionum quarumcunque connumerandos coram nobis, seu Vicario nostro titulos, seu collationes, prouisiones, & iura sua huiusmodi præsentare, seu etiam præsentasse fidem legitimam facere.

Hac constitutione volumus eos tantum obligari, qui beneficia ab alio, quàm à nobis obtinuerint.

Vt obtinentes beneficia ecclesiastica incompatibilia doceant de dispensationibus. Cap. LXIIII.

Item monemus omnes, & singulos quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum incompatibilium possessores, eisque nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub poena priuationis, & amissionis dictorum beneficiorum incompatibilium, committimus, & mandamus: quatenus intra proximum dictũ similem terminum officio nostro realiter, & cum effectu præsentasse debeant dispensationes legitimas in forma autentica, & fidem faciente, seu aliter legitimè, & canonicè comprobasse, quo iure, vel titulo dicta incompatibilia beneficia, vel officia teneant, vel possideant.

Beneficiorum incompatibilium pluralitas districtè prohibetur à Conc. Trid. sess. 7. in decreto de reform. Quòd si quis in posterum plura beneficia incompatibilia se retinere posse prætenderit, is constitutione hac obligetur sub poenis in ea expressis: volumus enim, vt suum vigorem retineat, cum ei Conc. Tridentinum plurimum suffragetur sess. 7. cap. 5. de reform. vbi vult ab ordinariis locorum districtè compelli quoscumque plura beneficia incompatibilia obtinentes,

nentes, vt dispensationes suas exhibeant; innouans constitutionem Gregorii x. & mandans, vt iuxta eam episcopi procedant.

De faciendo residentiam in beneficijs suis. Cap. LXV.

VOLENTES insuper subditorum nostrorum animarum saluti, vt tenemur, vndique prospicere, omnes, & singulos cuiuscunque ecclesiastici sint ordinis, & quacunque præfulgeant dignitate, in ciuitate & dioec. Veronen. ecclesias, capellas, commendas, dignitates, personatus, & quæcunque alia beneficia, & loca ecclesiastica personalem residentiam de iure communi, seu ex consuetudine quomodolibet requirentia obtinentes, sub illorum priuationis pœna ipso facto incurrenda, monemus, eisque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quatenus residentiam personalem prędictam per seipsos, & non per Vicarios substitutos faciant, aut saltem, qui nunc sunt beneficiati, infra xxx. dies à publicatione præsentium constitutionum: & qui erunt in futurum, infra xxx. dies proximos à die, quo earundem ecclesiarum, & beneficiorum possessionem assecuti fuerint, computandos, nobis, vel Vicario nostro plenam, & legitimam fidem, quare ad residentiam huiusmodi, vt præfertur, faciendam non teneantur, cum effectu fecisse debeant.

Hæc constitutio reuocatur ad Conc. Tridentini decreta, in sess. 6. cap. 1. & 2. de reform. & sess. 23. cap. 1. etiam de reform. nec non ad Bullam Pii Quarti datam anno 1564. quæ incipit, In suprema militantis: & ad Constitutionem Pii V. editam anno 1568. quæ incipit, Cupientes pro nostri, quibus in locis datur facultas ordinariis compellendi grauissimis pœnis ad residentiam eos, qui cum residere debeant, non tamen resident.

Inspiciantur etiam notationes ad cap. 27. tituli primi.

Vt Missæ, & alia diuina celebrentur iuxta obligationes cuiuslibet. *Cap.* *LXVI.*

MONEMVS insuper omnes, & singulos Sacerdotes tam seculares, quàm ordinum quorumcunque regulares, qui legata, capellas, altaria, & beneficia quæcunque sacerdotalia habentes, Missas certis diebus, & temporibus, tam pro viuis, quàm defunctis celebrare tenentur, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, Missas eisdem suis legatis, capellis, altaribus, vel sacerdotalibus beneficijs à iure, vel ab homine taxatas, deputatas, & assignatas, inuiolabiliter, & sine intermissione, vel fraude aliqua per seipsos, seu per alios idoneos per nos approbandos celebrari facere debeant suis debitis locis, & horis, sub pœna decem solidorum Veronen. pro prima vice, qua dictas Missas celebrare intermiserint, & cessauerint: quòd si secunda vice, pœna duplicetur, quòd si tertia vice, & vltra, suspensionem, à diuinis, & amissionem fructuum altarium, capellarum, & beneficiorum illorum secerdotalium ad arbitrium nostrum incurrant.

Vt Rectores denuntient negligentiam capellanorum. *Cap.* *LXVII.*

VT autem possimus varijs occurrere scandalis, quæ ex proximè dictis neglectu, intermissione, vel omissione sacerdotum non celebrantium Missas, & diuina officia iuxta pias defunctorum, vel dotantium intentiones, & voluntates in dies oriri possint, quo fit, vt Christi fideles ab erectionibus, & dotationibus beneficiorum retrahan-

tur, & diuinus cultus valde diminuatur, pręcipimus omnibus, & singulis ciuitatis, & dioec. nostræ Veronen. Archipresbyteris, Rectoribus, & Gubernatoribus, quòd teneantur infra quinque dies ab omissione Missæ, seu officij computandos officio nostro denuntiare negligentiam sacerdotis iuxta obligationem suam, vt prædictum est, celebrare nolentis: vt ad pœnas, de quibus supra, procedere valeamus: alioquin contra ipsos negligentes in denuntiando iuxta arbitrium nostrum procedemus.

Quòd clerici iuuenes præsentent se D. Episcopo, vel deputato; & similiter cæteri tam in ciuitate, quàm diœc. commorantes, & celebrantes. Cap. LXVIII.

ITEM volumus, & mandamus, quòd vnusquisque Rector, seu Plebanus ciuitatis, & dioec. nostrę Veronen. non solum secularium inter suam Plebem degentium curam gerat, verùm etiam presbyterorum iuuenum, qui per minores titulos in suis ecclesijs celebrāt: vel etiam Clericorum quorumcunque, qui in sua parochia habitant, iugi circunspectione vitam custodiat: & qua vnusquisque industria diuinum opus exerceat: cuiusque ritus, & conuersationis existat: quos omnes clericos, ac presbyteros prædictos semel in mense coram nobis in episcopali palatio, vel alio per nos deputato comparere mandamus ad subijciendum se examini: vt sciatur, si quę sibi circa litteras, mores, habitum, conuersationem imposita fuerint, effectualiter exequantur. Adiicientes rem nobis admodum gratam, & statui suo congruentem facturos omnes illos, tam in ciuitate, quàm in dioec. commorantes, & celebrantes sacerdotes, si quoties ad ciuitatem accesserint,

vel aliàs commodè potuerint, se à nobis, seu Vicario nostro in absentia nostra, videri permiserint: quum nos arbitremur solum has nostras delitias esse, si crebro cum filiis, & fratribus nostris in vinea Domini cooperatoribus colloquamur, in medium remedia conferentes, quibus lupus ab ouili arceatur, gratias Deo agentes, si quæ tam in visitationibus, quàm in his nostris constitutionibus commiserimus, opere compleri, ac debitę executioni mandari perceperimus, Deo, ac hominibus attestantes & plectendo, & ignoscendo, & in virga, & in charitate, & spiritu mansuetudinis id solum agere, vt auctore Domino, & subditorum vita corrigatur, & dilectionis officium impleatur: & maiorem horum non habemus gratiam, quàm vt audiamus filios nostros in veritate ambulare.

Quos præceptores imitari debeant clerici iuniores. Cap. LXIX.

IVNIÓRES autem, & tirunculi, qui officij ordinem ignorant, & qui adhuc gramatices rudimentis non ita bene imbuti sunt, probatis, & doctis senioribus adhæreãt, quibus cum simul Deo Psallant: quos & magistros doctrinæ, & testes vitæ habeant: per quos castigatè verba proferre discant, ne cum barbarismis, vel solęcismis Deum inuocent, vel eadem verba, quæ pronuntiant, non intelligant, perturbatèque distinguant. Caueant autem in primis, ne eos præceptores, duces, socios ad Deo psallendum eligant, per quos magis Dei maiestas offendatur, q̃ aliàs placetur: & semper siue soli, siue associati fuerint, nõ in gutture, vel inter dentes, seu deglutiẽdo, seu syncopãdo dictiones, seu colloquia, aut risus intermiscendo, sed ita reuerẽter

ter diurnum, nocturnumque officium verbis distinctis peragant, ac in tali loco, vnde à deuotione non retrahantur: & siqui deuotionis, aut religionis igniculi fuerint, prorsus non extinguantur.

De officio deuote recitando. Cap. LXX.

QVVM in hac vita mortali nihil sit, quo possimus Deo familiarius iungi, quàm in laudibus ipsius, quæ potissimum Psalmis continentur, iccirco monemus, & hortamur sacerdotes, tam curatos, quàm non curatos, & clericos omnes tam sacri ordinis, quàm beneficij ratione ad dicendum officium astrictos, nobis subditos, vt singulis diebus, horis competentibus iuxta possibilitatem diuinum officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis dederit dominus, studiosè celebrent, & deuotè persoluant. Quum aliàs orationem illam non audiat Deus, cui ille, qui orat, non attendit.

Quoniam plurimum conducere arbitramur saluti eorum omniũ, qui officiũ recitare tenentur, vt intelligant, quid Pius V. Pont. Max. hac de re sanxerit; idcirco eius Bullam huic constitutioni subscribi curauimus, quam optamus legi diligenter ab ijs omnibus, qui beneficij, aut pensionis alicuius fructus percipiunt.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ex primo Lateranensi concilio pia, & salubris sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, diuinum officium legitimò cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos non faciat: sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneantur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluri-

bus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui verò matutinum tantum, dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuũ eiusdem diei amittat, tametsi aliquis choro addictus, non recitans omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat. Is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes cum prædictis pariter contineri. At quicunque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

De officio veteri. Cap. LXXI.

FVIT sane bonis rationibus fultum laudabile illud institutum proponendi noui officij recitationem, vt ex præfatione Breuiariorum fronti apposita videre licet: tamen quia clerici, qui licentiam huiusmodi recitandi diuinum officium secundum vsum nuper introductum obtinuerunt, quorum plerique vel hoc mouentur, vt eo solum sacræ scripturæ professores agant, dum illius recitationi indesinenter vel rei nouitate gaudentes, vel pensi sui breuitate allecti intendunt, vsum veterem, quem in choro seruare tenentur, derelinquunt, iccirco omnes, & singulos ciuitatis, & diœc. nostræ clericos in domino exhortamur, vt ita nouo vsui priuatim in domibus insistant, vt veterem obseruandum publicè in ecclesijs non ignorent. Præsertim quum Santiss. D. noster PP. illum in choro omitti nequaquam

quaquã velit:& hoc ad euitandum errores, in antiphonis, reſponſorijs, verſiculis, capitulis, lectionibus, pſalmis, & hymnis, qui frequenter committuntur in diuini cultus perturbationem, & circunſtantis populi ſcandalum, dum horariæ preces in choris pſalluntur, non ſolum per iuniores clericos antiqui vſus huiuſmodi penitus imperitos, verum etiam ſenes primæuum morem edoctos:& ſola illa in choris recitatio non ſufficit ad inſtruendum vel iuniores, vel ſucceſſores presbyteros, cum in ea etiam cum tot rubricis, & regulis circa priſcum pſallendi modum præſcriptis, accedente etiam quotidiano vſu, admodum paucos benè inſtructos hodie reperiamus.

Pius V. Pont. Max. ex decreto Conc. Tridentini Breuiarium, ſeu officium reformauit: idque reformatum tam in choro, quàm extra recitari præcepit ab iis omnibus, qui officium recitare tenentur. Quare omnes legant editam hac de re conſtitutionem, quæ in initio Breuiarii imprimi ſolet, eique pareant. Clerici autem ſciant hoc officium recitare antequam ad ſubdiaconatum accedant, ſi nolunt ferre repulſam.

DE PRÆDICATIONE VERBI DIVINI.

TITVLO TERTIO.

Ne vllus admittatnr ad prædicandum ſine litteris D. Epiſcopi. Cap. I.

QVONIAM inuidens ſemper humanæ ſaluti zizaniorum ſator diabolus, quod in agrum Dominicum per ſe directè non poteſt, id nonnunquam per ſuos, quos poſſidet, cupiditatis igne ſuccenſos, exquiſitis modis efficere conatur, Iccirco à nobis ſummopere aduertendum eſt, cuius vitæ ſint hi, per quos verbum Dei ſeminatur in populo, ne plantare fingentes potius deſtruant. Eam igitur ob cauſam, ne iſtud prædicationis officium circumuentis parochialibus presbyteris vſurpari à quoquam poſſit, ſub prędicatorum, quęſtorum, vel falſo nonnunquã ſimulatæ religionis habitu ſubintrando, nos etiam ad hoc ſufficienti per litteras Apoſtolicas in forma breuis inferius regiſtrandas facultate ſuffulti, omnibus, & ſingulis parochialium eccleſiarum Rectoribus, & alijs, ad quos ea cura ſpectat, præcipimus, quòd aliquem cuiuſuis ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtat, non admittant ad prædicandum, nec ad quæſtus faciendum per parochias, & alias eccleſias ſuas, niſi prius nobis, aut Vicario noſtro per ſuorum prælatorum litteras ſigillatas pręſentati, & à nobis approbati, & ad hoc nominatim cum litteris noſtris patentibus miſſi extiterint. Nos enim Apoſtoli verba attendentes, quomodo prædicabunt, niſi mittantur,

tantur, religiosos ad prædicandum in diœc. nostra non mittemus, nisi prælatorum suorum prius per nos obedientia visa: quos etiam nos pro virili experiri cupimus, an sint ætate maturi, moribus graues, & in sacris litteris sufficienter eruditi; semper rogando dominum messis, vt mittat bonos operarios in messem suam, cum messis multa, operarij pauci.

PAVLVS PAPA III.

VENERABILIS Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, tu pro tuo officio, & erga Deum solita pietate cupias, quòd in ciuitate, & diœc. tua Veronensi verbum Dei à sufficientibus, ac benè sentientibus, & Catholicis prædicetur, & ab eisdem sacræ litteræ publicè legantur, & interpretentur, ac libri hæresim sapientes, aut aliàs scandalosi à nemine legantur, precibus tuis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, quòd omnibus, & singulis tam secularibus, quàm quorumuis ordinum regularibus, & quasuis licentias, seu facultates, etiam à sede Apostolica habentibus, ac quantuncunque exemptis, & priuilegiatis personis, ne verbum Dei in ciuitate, & tua diœc. Veronensi sine tua licentia in scriptis habita prædicare, aut sacras litteras publicè, vel priuatim legere, & interpretari, vel libros hæresim sapientes, seu scandolosos legere audeant, sub censuris, & pœnis ecclesiasticis tibi visis inhibere, & contra secus facientes, ad declarationem incursus dictarum censurarum, & ad vlteriora etiam per inuocationem brachij secularis procedere, cæteraque omnia, & singula in præmissis necessaria, vel quomodolibet oportuna facere, & exequi possis, & valeas, auctoritate apostolica tenore præsentium facultatem, & potestatem concedimus. Non

obstan-

obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum ordinum etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel qua vis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, ac litteris Apoſtolicis eiſdem ordinibus ſub quibus vis tenoribus, & formis conceſſis, confirmatis, & innouatis: quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præſentium duntaxat, derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romę apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XVII. Februarij M D XXXXII. Pont. noſtri Anno octauo.

A' tergo. Venerabili fratri Ioãni Matthęo Epiſ. Verõn.

V. Blo. El. Fulgin̄.

Conſtitutionem hanc, & litteras apoſtolicas corroborauit Conc. Trident. ſeſſ. 5. c. 2. de reformatione, & ſeſſ. 24. c. 4. item de reformatione: quibus in locis prætér alia multa ſalutaria decreta, ſanxit, ne quis contradicente epiſcopo prædicare prę́ſumat, item ne quæſtores, ſeu quæſtuarij per ſe, aut per alium prædicent.

Inſtructio, ſuper quibus inſiſtere debeant Prædicatores. Cap. II.

OMNES autem religioſos, poſtquam per nos ad prædicandum in ciuitate, & diœc. noſtra admiſſi erunt, per viſcera domini noſtri Ieſu Chriſti rogamus, vt ipſius Euangelium ſincere populo prædicent, & annuntient, imitentur eius veſtigia viris apoſtolicis præcipientis, Prædicate Euangelium omni creaturæ: & iterum, Docete omnes gentes ſeruare quæcunque mandaui vobis, Innitantur

tantur interpretationibus ſanctorum eccleſiæ doctorum antiquorum, prout etiam in concilio Lateranenſi conſtitutum eſt ſub excommunicationis pęna. Ceſſent in ſanctis illis concionibus prophanarum legum minime neceſſariarum citationes, poetarum auctoritates ſuperuacuæ, ſubtilium quæſtionum, & plerunque futilium inanes allegationes, Memores ſemper oportere eum, qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, vt pro ingenio diſcentium ſemet ipſum poſſit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Inſtruant populum ad obſeruationem præceptorum Dei, vt fidem inconcuſſè teneant, atque omnibus mandatis Dei, & eccleſię pareant. Nec ab eiuſdem eccleſiæ decretis, & ſanctionibus deuient. Parentes adhortentur ad benè educandum liberos ſuos adhuc in tenera ætate conſtitutos, quando ea ætas cæterarum ætatum fundamentum eſt, & principium. Non erubeſcant Chriſtum Crucifixum Chriſtianis prædicare, cuius amorem ſtudeant ſaxeis hominum cordibus infigere. Sint in verbo diſcreti, caſti, examinati, eloquia domini, eloquia caſta. Perlegant etiam ea, qua decet, charitate, abuſus illos ciuitatis, & diœc. noſtræ, quos & pro paſtoralis, ac paterni officij noſtri debito, in vnum colligendos, & pro maiore ipſorum cócionatorum commodò imprimendos curauimus, vt ſic opportunè, & importunè circa eos quotidie inſiſtentes, ad amorem Dei populum trahant, vitja deteſtentur, ad virtutum amplexus auditores allicientes. Habeant præ oculis pro ſcopo honorem Dei, & animarum ſalutem, nihil ad gloriam, & oſtentationem facientes, non quęſtui intenti, nec quæ ſua, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quęrentes: vt ſic iuxta veritatem dent cibum in tempore, & frangant eſurienti panem.

Legantur à concionatoribus, quæ huic conſtitutioni conformia dicuntur à Conc. Trid. locis in ſuperiore notatione citatis.

Quomodo se habere debeant prædicatores cum Curatis. Cap. III.

QVVM autem religiosi seminandi verbum Dei causa, ad aliquem locum de nostra, aut Vicarij nostri licentia peruenerint, cum quilibet locus abundet in sensu suo, statim cum Curato fraterna inita beneuolentia, absq; vlla voluntatum discrepantia iuxta illud Prophetæ vaticinium, qui habitare facit vnius moris in domo, simul in charitate loquantur, quæ potissimum vitia vigeant in parochia sua: & cui nam illius loci homines sint magis proni, remedia etiam simul excogitantes, quibus ex illis locis eorum morborum radices euelli, ac extirpari possint: experientia enim docti sumus, quorundam locorum colonos tardiores, & pigriores ad confitendum peccata sua, & Eucharistiæ sacramentum suscipiendum in vno loco reperiri, quàm in alio. Hic homines magis pronos esse ad vsurarios, & illicitos contractus ineundos, peccatum suum diuturnitate temporis, & pessima corruptela excusantes: illic magis ad libidinem procliues nulla sexus differentia, aut affinitatis, cognationisque ratione habita. Alibi blasphemos, & periuros reperiri, vt mireris potius Dei optimi pietatem, & misericordiam. Prudens igitur prædicator semper in omnibus suis concionibus opportunitate capta acriter inuehat hodie in istud vitium, cras in illud: & sic diebus singulis singula detestetur, quæ in illo loco præualere perceperit, animarum saluti, & non proprio lucro inuigilando. sacerdotes autem omnes, ad quos declinare contigerit prædicatores, vt charitatiue eos suscipiant, & benignè tractent, hortamur in domino, significantes, quòd si eos spreuerint, eum spernent, à quo mittuntur.

Con-

Contra ſcandoloſos, & indiſcretos Prædicatores. Cap. IIII.

QVORVNDAM indiſcreta prædicatio, qui interdum rancore moti contra ſe inuicem prædicare non verentur in populi ſcandalum, & exemplum pernitioſum, præſenti edicto cauſam dedit, quo iubemus, nequis prædicantium in monaſteriis, & eccleſiis noſtræ ciuitatis, & diœc. ſiue religioſus, ſiue ſecularis exiſtat, contra alium quicquam in cancellis ſcandaloſum, aut irritans prædicet, aut in dubium reuocet, quod iam per ſanctos eccleſiæ patres ſancitum eſt: quod nonnunquam fit cum graui auditorum nauſea. ſed ſi errorem hæreſum, vel quid aliud contra alterius ius aliquis ex ipſis prædicauerit, id nobis, vel Vicario noſtro referatur, ne ex huiuſmodi contentione publica ſcandala in populo, & pericula conſurgant animarum. ſecus facientes pœnam ſeuetam non euadent.

De denuntiandis ſcandoloſis prædicatoribus. Cap. V.

CVPIENTES autem prædicatores per nos ad concionandum miſſos manipulos refertos ad aream Domini reportare, & non vacuis manibus redire, ſcientes, cuius vita deſpicitur, ſupereſſe, vt eius quoque prædicatio contemnatur, quo fit, vt pro ficubus tribulos, pro vuis ſpinas colligant, iniungimus omnibus Curatis, & Capellanis animarum curam exercentibus nobis ſubditis, quòd ſi ſciuerint aliquos prædicatores, cuiuſcunque gradus, & ordinis exiſtant, ſcandaloſę vitæ, aut populum more ſcur-

N ra-

rarum vilissimorum, dum ridiculas, & aniles fabulas recitant, ad risus, cachinnationesque excitantes, aut Prælatis Ecclesiarum principibus, sacerdotibusque detrahentes, aut falsas doctrinas seminantes, aut confessiones audiendo pecuniam emungentes, nobis, aut Vicario nostro cum diligentia referant, & notificent. Quòd si negligentes reperti fuerint, sciant se eandem pœnam arbitrariam, quam ipsi delinquentes pro modo, & mensura excessus, si capi potuissent, experti essent, non euasuros.

Quoniam Syn. Tridentina sess. 5. c. 2. de reform. dat potestatem episcopis tanquam sedis apostolicæ delegatis procedendi contra quoscunque scandalosos prædicatores, oportet, vt superiores duæ constitutiones accuratè seruentur.

Vt prædicatores finitis prædicationibus præsentent se domino Episcopo. Cap. VI.

VOLVMVS præterea transacto quadragesimali tempore, vt prædicatores omnes, qui in ciuitate, & diœc. Veronensi vice nostra laborauerint, quasi villicationis suę, rationem reddituri se conspectui nostro, aut Vicarij præsentent relaturi, quomodo tam secularium, quàm regularium vita, & mores se habeant, si quid sit, cui pro Dei honore, & subditorum animarum salute consulendum sit. Quòd siquis in se nobis præsentando, iusta cessante causa, contumax fuerit, sciat pro certo se de cætero ad prędicandum in diœc. nostra non admittendum.

DE CVRATIS ECCLESIARVM, ET EORVM OFFICIO.

TITVLO QVARTO.

Vt ſingulis diebus feſtiuis explanent Euangelium. Cap. I.

QVVM dominus,& Redemptor noſter poſiturus cum nobis rationem ſit reuerſurus, benè operantes pro adportato lucro remuneraturus,ſeruos verò, à bono opere torpentes damnaturus, cauendum nobis eſt,ne talentum nobis donatum in terram fodiamus, ſed pro menſura vnicuique poſcenti nos tribuere debemus; vt cum ſuper pauca fideles fuerimus, ſupra multa conſtitui valeamus. Ob hanc igitur cauſam, cum in populo Dei Sacerdotes doctorum vice funguntur, (vnde ſacerdotes quaſi ſacra docentes dicuntur) mandamus ſacerdotibus omnibus, vt ſingulis diebus dominicis, & feſtiuis Euangelium Chriſti non erubeſcentes infra Miſſarum ſolennia,prout ſibi dominus tribuet, qui ſolet dare verbum euangelizantibus virtute multa, illud populo in charitate,& cordis ſimplicitate explanare debeant, omnẽ domini noſtri Ieſu Chriſti actionem ad humanam inſtitutionẽ deducendo:& ſi aliud dicere neſcirent, vnà cum propheta exclament,Diuertite à malo,& facite bonum. Diligite Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima,& ex totis viribus veſtris,& proximos veſtros ſicut voſmetipſos; & quod vobis non vultis, alijs ne feceritis. Sacerdotes autem illi,qui ignorant,diſcant à vicinis ſacerdo-

tibus; & habeant expositiones in vulgari sermone; & referant ex Antonina, quæ sunt vtilia populo.

Necessarium omnino est, vt hæc constitutio adeo salutaris ad praxim reuocetur ex decretis Conc. Tridentini sessi 5. c. 2. de reform. vbi sic ait, Archipresbyteri quoque, plebani, & quicunque parochiales, vel aliàs curam animarum habentes ecclesias, quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem dominicis, & festis solennibus, plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & Virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant. hactenus concilium: quod paulò infra dat episcopis potestatem, vt per censuras cogant curam animarum habentes ad explendum hoc prædicationis munus aut per se, aut per alios: & sess. 24. c. 4. de reform. innouat, & declarat, quæ de prædicationis munere fuerunt sessione quinta constituta. Catechismus autem Romanus Pii V. Pont. Max. iussu editus, qui etiam vulgari sermone venalis reperitur, magno erit & commodo, & vsui sacerdotibus curatis concionaturis. Legatur etiam cap. 7. de reform. sess. 24.

Vt dicant orationem dominicam palam, & alia in capitulo comprehensa. *Cap. II.*

EXPOSITO autem secundum talentum sibi à domino datum, euangelio, alta, & intelligibili voce pronuncient prius latina, & postea materna, vulgarique lingua orationem dominicam. Pater noster, &c. Padre nostro, &c. & quoniam Deus (vt beatus Bernardus ait) nihil nos salutis vult habere, quod per beatæ Mariæ manus non tran-

transeat, & dignum est, vt illam salutemus, per quam salus in ea initium sumpsit, ideo dicant etiam Aue Maria, &c. Symbolum Apostolorum. Credo in Deum, &c. Credo in Dio, &c. Decem præcepta, Vnum cole Deum, &c. Vno solo Dio tu debbi adorare, &c. & postea Confessionem subiungant. Io mi confesso all'Altissimo, &c. Admoneant quoque parochianos suos ad se consignandum sæpe signo crucis, vt apostata diabolus in vase suo pristino interemptionis suæ cognoscens, signum, sibi iam deinceps illud sciat esse alienum.

Vt pulsetur campana in eleuatione corporis Christi: et qua deuotione stare debeat populus, dum eleuatur Hostia, et Euangelium legitur. Cap. *III.*

VOLVMVS, quòd de cætero sacerdotes omnes per ciuitatem, & dioec. nostram morem istum introducant, vt quoties eleuetur corpus, & sanguis domini Iesu Christi, pulsentur campanæ de campanili, datis primum aliquibus signis, cum dicitur Sanctus, & populus admoneatur, quòd qui feriatis diebus ad Missam non possunt conuenire saltem, cum campanam pulsare audiuerint, qui vel in campis laborant, aut per viam reperiuntur, debeant genibus flexis adorare, & in Deum cor erigere, & cogitare quòd ab eo suo sanguine precioso redempti sunt, & ab ipso conseruantur, & aluntur, & propterea de tantis beneficijs gratias agant. Sic faciant etiam, qui domi, aut propter infirmitatẽ, aut alia ex necessaria, aut probabili causa missarũ tẽpore detenti, Missis in ecclesiis interesse non potuerint. Similiter sacerdotes frequenter doceant plebes suas,

vt qui in Ecclesiis fuerint, quum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, reuerenter se inclinent. Quibus sic facientibus xl. similiter dies de iniunctis pœnitentijs in Domino concedimus. Item dum Euangelium legitur, non debeant sedere, sed venerabiliter curui, & in conspectu Euangelij stantes verba dominica intentè audiant, & fideliter adorent.

De reuerentia facienda Sanctissimo nomini Iesu. Cap. IIII.

CVM diuina celebrantur solennia, & nomen domini nostri Iesu Christi fideles audiunt nunciari, capita sua reuerenter inclinent: Cum in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. & omnibus ita facientibus pro qualibet vice xl. dies de iniunctis eis pęnitentijs misericorditer in domino relaxamus. & hoc sæpius sacerdotes populo intiment.

Vt pulsetur campana ter in die pro salutanda Virgine. Cap. V.

CVM vt superius diximus, æquum, & iustum sit, vt deuotè illam salutemus, per quam salus mundi apparuit: statuimus, vt in qualibet parochiali ecclesia, per totum annum pulsetur campana ter in die pro salutanda Virgine Maria in mane, meridie, & vespere, ut bonum sit principium, melius medium, optimus finis. Populum exhortentur, & inducant sacerdotes, vt audito pulsu Deiparæ Virgini Mariæ Angelicam orationem offerat, eam pro pace deuotè exorando; vt sic concessas à Pontificibus indulgentias vnusquisque consequi possit.

Huius constitutionis praxim plurimum omnibus in domino commendamus.

De Ieiunijs populo intimandis. Cap. VI.

MANDAMVS præterea vt sacerdotes curati in ecclesiis suis moneant parochianos suos ieiunia indicta à sancta matre ecclesia obseruare, prout ab omnibus competentem ætatem habentibus, & sine corporalis sanitatis notabili diminutione valentibus sunt obseruanda. Quæ sunt Ieiunium Quadragesimæ, Ieiunia quatuor temporum, quæ post festum sanctæ Luciæ in aduentu Domini post cineres in prima hebdomada quadragesimę, post Pentecosten immediatè, post crucis exaltationem sunt indicenda. Item vigilia Natiuitatis domini nostri Iesu Christi, & Assumptionis beatæ Mariæ Virginis eius intemeratæ genitricis: quæ licet inter sua festa sola in iure præcipiatur, in vigilijs tamen aliorum eiusdem Virginis Mariæ festorum, scilicet Natiuitatis, Conceptionis, Purificationis, & Annunciationis saltem ex deuota, laudabili, atque iamdiu approbata ferè vniuersali consuetudine ieiunare pium, & quodammodo debitum est. Item vigilia omnium Sanctorum, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Simonis, & Iudæ, Andræ, & aliorum Apostolorum (præter vigilias Apostolorũ Philippi, & Iacobi, & beati Ioannis Euangelistæ) Sancti Laurentij, & in vigilia Pentecostes: in quibus vigilijs carnibus, ouis, caseo, cæterisque lacticinijs non vtantur: & in primis à viciis abstineant. Istud enim magnum, & generale ieiunium est, à vitijs, & iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi abstinere.

De

De proceſsionibus deuotè faciendis. Cap. VII.

PRAECIPIMVS eiſdem Rectoribus eccleſiarum, ac eorum locatenentibus, vt parochianos ſuos moneant, vt iuxta ſacrorum Canonum inſtituta in proceſſionibus rogationum, quę fiunt tribus diebus ante diem Aſcenſionis, & dicuntur Minores Litanię, & in feſto ſancti Marci euangeliſtę, quę ſunt Maiores Litanię, deuotè aſſiſtant. & optimum eſſet inducere, vt Communitates ſtatuerent, vt ſaltem vnus de qualibet domo ad iſtas proceſſiones cōueniret cum deuotione celebrandas, inhibendo, ne choreæ aut in eundo, aut in redeundo quomodo fiant, aut commeſſationes, aut ebrietates.

Quòd omnes veniant ad proceſsiones. Cap. VIII.

QVVM commune votum communis ſequi debeat oratio, præcipimus omnibus presbyteris nobis ſubditis, & alijs ſacris ordinibus initiatis, vt omni ceſſante excuſatione, in huiuſmodi proceſſionibus cum ſuis ſuperpellitijs deuotè, & cum ſuis Curatis, aut Vicarijs continue aſſiſtant, & compareant. Item religioſos iuxta approbatam conſuetudinem tam ordinaria, quàm Apoſtolica auctoritate pręcipimus, & volumus teneri, & obligatos eſſe ad veniendum perſonaliter cū ſuis Crucibus ad iſtas proceſſiones, & comitandum curatos, ſeu parochianos locorum, & cantandū in itinere Litanias, Pſalmos, & Hymnos.

Quoad clerum ſecularem vehementer optamus, vt vniuerſus ad proceſſiones conueniat, ſi id commodè fieri poteſt.

Quòd curati moneant parochianos ad confeßiones, Cap. VIIII.

QVONIAM ex fide dignorum relatu percepimus, & vtinam verum non eſſet, quamplurimos ciuitatis,& diœc. Veròn. vtriuſque ſexus primarios parochianos, ac patresfamilias ad confitendum peccata ſua remiſſos, deſides, & pigros eſſe adeò, vt confiteri differant vſque in finem Quadrageſimæ, quo ſane tempore eccleſiarum Rectores circa diuinum officium perſoluen. necnon in auditione aliorum,videlicet filiorum,& filiarum, ſeruorum, & ancillarum non modicum occupantur, adeo vt huiuſmodi ſuos parochianos nullatenus poſſint in ſuis confeſſionibus inſtruere, ac neceſſarias, & ſalutares interrogationes facere, ac illis minus debitè conſcientias ſuas exonerare, ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſinguli prædicatores, & presbyteri Curati ſingulis diebus Dominicis à Septuageſima incipientes moneãt primarios parochianos ſuos vtr. ſex. ac patresfamilias de confitendo peccata ſua ante dominicam in Paſſione,comminando, & proteſtando, quòd ſi ipſi principales parochiani ſic facere contempſerint,non admittentur pro deſidiæ ſuæ pœna,& pro tanti ſacramenti reuerentia ad communionem, niſi poſt octauas Paſchæ, & vltra: in quo tempore ieiunium imponatur pro pœnitentia,ſicut in Quadrageſima, niſi vrgens interuenerit neceſſitas.

Exhortationes facienda ad Communionem. Cap. X.

ET ſi ſcriptum reperitur,Compelle eos intrare, nolumus tamen prædicta verba ita ſtrictè accipere, quòd

debeant homines in peccatis persistentes ad communicandum se (quod absit) per Curatos compelli: sic enim iudicium sibi manducarent, & biberent. Volumus autem, quòd exhortationes fiant opportunè, & importunè, arguendo, obsecrando, & increpando, vt se ad tantum sacramentum præparare velint: exempla, & auctoritates, prout dominus dederit, adducendo: si enim pœnitens dicat, non possum parcere, instet sacerdos in ostendendo errorem suum, cum beatus Augustinus dicat, De diligendis inimicis nullum vnquàm excusare se posse in veritate. Ais, hodie non sum præparatus, vellem terminum quinque, vel sex mensium: quod pignus habes frater(inquit B. Chrysostomus) quòd eo tempore eris paratior, quàm nũc es? quis autem tutum te reddit, quòd hinc ad breuissimum temporis spatium viuus eris? Ideo frater, Apostoli consilium capiendum est præcipientis, vt dum tempus habemus, operemur bonum. Pater, inquis, litem institui. fili, & frater etiam nõ prohibet dominus, qui portio tua esse debet, quominus, quod ad te iure spectat, consequaris. teneris rancorem dimittere, & iniurias obliuisci: & adhuc salua conscientia actionem retines. Pater versor in euidenti periculo, tot inimicos habeo, vt nullo in loco tutus consistã. Cui ergo fili potius adhærere volueris, quàm Christo benedicto? Illi igitur te concilia: illum tibi constitue protectorem tuum: si enim Deus pro te, quis contra te? fac fili, quòd dominus sit spes tua, fortitudo tua, & protectio tua: & ipse apprehendet arma, & scutum, & exurget in adiutorium tibi. Rursus si instet pęnitens, Perturbatum animum habeo. quis facilius pacare poterit, quàm Rex pacificus, qui est pax nostra, & in reconciliationem nostram datus est? & sic Curati totis viribus suis studeant dante Deo incrementum, saluum facere, quod perierat. Nulli quoque exemplum deest, quomodo iam in hac diœcesi dispositio

cano-

canonis in viridi obseruantia existat circa cadauera illorum, qui absque sacerdotis sui consilio in paschate communionem distulerint, qui asini sepultura sepeliuntur.

Vt moneant parochianos, quòd quando sunt infirmi, prius spiritualem, quàm corporalem medicum vocent. *Cap. XI.*

ITEM praecipimus omnibus ecclesiarum Rectoribus, vt saepius moneant parochianos suos, si contigerit eos infirmari, prius spiritualem sibi confessorem, quàm corporalem quaerere medicum: & quia adhibita spirituali medicina melius proficit corporalis. Ideo ipsis Medicis ad infirmos vocatis praeceptum est, vt ante omnia infirmum ad confessionem inducant: quibus intiment etiam saepissime, si vltra duas vices ad infirmos accesserint, qui confiteri aut distulerint, aut neglexerint iuxta edicti nostri in hac materia, aliàs per nos promulgati tenorem (quod etiam hic inseruisse placuit, vt illud pro iugi obseruantia valeat saepissime per Curatos, & Praedicatores populo insinuari) in graues censuras incursuros.

INIVNCTVM nobis curae pastoralis officium nos excitat, & inducit in crediti nobis populi periculis non silere: & ne mors in miseras, & incautas animas atrocius, quàm in ipsa corpora omnino moritura desaeuiat, quantũ possumus prouidere. Dudum siquidem Fe. Re. Innocentius PP. III. prudenter attendens, quòd infirmitas corporalis nonnunquàm prouenit ex peccato, dicente domino languido, quem sanauerat, Vade, & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat, quòdque nonnulli in aegritudinis lecto iacentes, quum eis à medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis la-

quæum incidunt, vnde facilius periculum mortis incurrunt, Statuit in concilio generali, & districtè præcepit medicis corporum, vt quum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia monerent, & inducerent, vt aduocarent medicos animarum, vt postquàm foret infirmo de spirituali salute prouisum, procederetur salubrius ad remedium medicinæ corporalis: quum causa cessante, cesset effectus. Decernens, vt si quis medicorum eiusdem constitutionis, postquàm publicata esset, transgressor extitisset, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceretur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Verùm quoniam constitutionem huiusmodi propter vergentis in senium seculi corruptelam multorum fertur negligētiam, ne dicamus inobedientiam præterire, eam decreuimus infrascriptæ pœnæ adiectione iuuandam. Quo circa vniuersos, & singulos medicos in eisdem ciuitate, & diœc. Veronen. nunc, & pro tempore existentes tenore præsentium monemus, & hortamur in Domino, eisque nihilominus, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excōmunicationis, ac interdicti ingressus ecclesiæ prædicti pœnis præcipimus, & mandamus, vt quum eos ad infirmos vtriusque sexus vocari contigerit, tam salutarem constitutionem huiusmodi studeant inuiolabiliter adimplere, carnis interitum minimè metuentes, vt spiritus saluus fiat, quum anima multò preciosior, quàm corpus esse noscatur.

Pius V. constitutione edita anno 1566. quę incipit, Supra gregem dominicum, renouat Innocentij III. præceptum, & pœnas suprapositas: ac præterea vult perpetuò Medicos esse infames, gradu medicinæ priuari. Ejici è collegio Medicorum, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum multari, nisi infirmos in lecto iacentes ante omnia monuerint, vt peccata confiteantur, ac nisi tertio die recusantes confiteri deseruerint.

Quòd

Quòd sacerdos requisitus vadat ad infirmum. Cap. XII.

SOLICITI sint sacerdotes pœnitentiam,& Eucharistiam ministrare infirmis,& sanis,non solum, cum fuerint requisiti, sed etiam ipsimet sese offerant ad exhibendum ecclesiastica sacramenta:in quibus ministrandis,quoties constiterit, sacerdotem aliquem negligentem fuisse, quum à parochiano suo vocatus fuerit pro ecclesiasticis sacramentis ministrandis,siue die, siue nocte, ipsum arbitrio nostro puniendum reseruamus.

Pœna impedientis sacerdotes, vel notarios ire ad infirmos. Cap. XIII.

STATVIMVS, vt nullus de cætero publicè, vel occultè impediat,quo minus sacerdotes parochiales,vel notarij cum testibus ad infirmos intrare possint, quoties fuerit opportunum,& liberè,prout voluerint infirmi: & quominus infirmi dispositiones vltimę voluntatis exprimant per testamentum,vel aliam quamcunque voluntatem: & si quis directè,vel indirectè per se,vel alium contrafecerit, ex nunc,prout ex tunc, & è conuerso excommunicationis sententiam in eum promulgamus: hancque constitutioné sæpissime publicari in ecclesijs mandamus, ne quis ignorantiam prætendere valeat: & admoneant Curati, quòd vltra pœnam in præsenti nostra constitutione contentam tenentur læsis pro commodo,seu lucro,quod ex testamento, seu alia dispositione reportassent, satisfacere.

De

De officio sacerdotum, quibus est commissa cura diuersarum ecclesiarum: & quòd non audeant concedere litteras testimoniales. Cap. XIIII.

INSVPER ad omnia remouenda scandala, & vt cautius omnes incedant, & quæ ad suum spectant officium, peragant, sacerdotes illos, quibus plebium, ac ecclesiarum diuersarum curam commisimus, & infuturum cómittemus, eorum prudentia, vigilantia, fide, vita, & moribus plurimum confisi, monemus, eisque mandamus,vt quoties commodè potuerint, ecclesias sibi commissas, & loca fidei suæ credita perlustrent diligenter, inquirendo de sacerdotum vita, moribus,conuersatione: & quomodo in debito parochianis suis impendendo se habeant.an permittant ecclesias debitis defraudari obsequijs,& illis in diuinis non deseruiri. an ea, quæ nos pro urgente necessitate, & pro ecclesiarum reparatione expendi, & fieri in visitationibus nostris iussimus, & iubebimus in futurum,re ipsa præstentur, & executioni demandentur. & nos de omnibus certiores faciant, quanto sæpius potuerint, ad nos, vel Vicarium nostrum semel ad minus in mense minutissima quæque scribendo,Qui autem vel mendaces,vel negligentes reperti fuerint, pro mendacij,vel negligentiæ modò grauiter punientur. Nullus autem præfatorum, etiam quacunque generali facultate per nos eis concessa suffultus, audeat, seu præsumat alicui presbytero quamuis probatæ vitæ è ciuitate,& diœc. nostra discessuro testimoniales litteras concedere:quarum cócessionem vtpote rem maximi momenti nobis, & officio nostro specialiter reseruamus.

Quòd

Quòd parochianis prouideant Curati, antequam diſcedant è ſua parochia, & maxime infirmis. Cap. XV.

AD animarum vitandum periculum, tollendamque laicorum indignationis, & murmuris occaſionem, & ferendam infirmis conſolationem, omnibus eccleſiarum Rectoribus iubemus, vt quantominus poſſint parochiam ſuam etiam ad breue tempus deſerant memores, quòd diabolus, tanquam leo rugiens continuè circuit quærens, quem deuoret, niſi ex aliqua vrgente neceſſitate, qua etiam exiſtente, antequam è parochia ſua diſcedant, publicè inquirant, an in ſua parochia fuerint infirmi: & quos infirmos cognouerint, etiam non vocati viſitent, & ſaluti animarum ipſorum, prout opportunum fuerit, prouideant. Inſuper inquirant, ſi fuerint aliquæ mulieres grauidæ partui proximæ. ſicque omnia diſponant, vt negligentiæ non poſſint accuſari. & nihilominus tali cautione præmiſſa diſcedentes alicui probo viro vicinę parochialis eccleſię Rectori curā huiuſmodi commendent, qui occurrentibus caſibus interim prouidere valeat.

Legantur annotationes ad cap. 27. tit. primo & cap. 65. tit. 2.

De cura habenda infantium expoſitorum. Cap. XVI.

VNVSQVISQVE ſobolem ſuam nutriat: quòd ſi propter nimiam paupertatem, egeſtatemque exponendam putauerit, Pietatis domum habet: quam nos ni-

nimium grauari nolentes, vt facilius, & commodius pietas hęc exerceatur in verè pauperes, qui filios suos non habentes, vnde eos aliter alant, coacti exponunt, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ parentes illos, qui carnem suam despicientes, & relegato pietatis officio, liberos suos exposuerint, vel exponendos curauerint, aut expositos sciuerint, si eorum facultates, ac patrimonii vires suffecerint, cogimus ad reficien. dictæ domui omnes impensas, vel cum illius Magnificis gubernatoribus conueniendum. Scientes quoque iusto cessante impedimento teneri volumus ad reuelandum expositorum infantium parentes infra xxx. dies nobis, aut Vicario nostro, aut dictis Magnificis gubernatoribus: quorum solertiam & nos, in quantum possumus, coadiuuantes rogamus in Domino vniuersos, & singulos ciuitatis, & dioec. nostræ presbyteros, vt frequenter tam in eorum ecclesiis, quàm extra, quoties opportunum fuerit, cum omni charitate huiusmodi infantes eorum nutricibus pretio à dicta domo ad eos lactandos conductis, infra parochiarum suarum limites commorantibus comendent: vt eos non minore cura, atque diligentia, quàm proprios alant, & foueant, eos signum crucis, & cætera christianæ religionis rudimenta edocentes: atque nolint mercede illa parua solum allectę, sed Dei amore, qui erit sibi merces magna nimis, miseros illos infantes, tanquam catulos, aut tanquam incestuosos, & malè natos detestari, & abhorrere, quum nasci de adulterio non sit eius culpa, qui natus est, sed illius, qui generauit: & ipsi quoque sint filij Dei, & cohæredes Christi. Ad hæc ea verbali exhortatione non contenti Sacerdotes assumptis secum duobus, vel tribus de parochia, qui sint probatæ vitæ, ac boni testes, visitent si non frequentius, saltem semel in mense singularum huiusmodi nutricum domos, atque diligenter perquirant, quomodo huiusmodi

expo-

expositi tractentur, si eisdem necessaria impendantur, nobis postea, quicquid inuenerint, fideliter relaturi.

Vt moneant parochianos super institutione propria famiglia: & de tollendo stabulorum abusu. Cap. XVII.

NON desistant etiam sacerdotes parochianos suos diligenter monere, vt quilibet solicitè vigilet super filios, & filias: quibus cum versentur, quique domos suas frequentent. Puellas quoque custodiat à conuersationibus, & confabulationibus quorumcunque etiam affinium, & coniunctorum: quòd in dominicis diebus, & in solemnitatibus sanctorum non vacent tripudijs, aut saltationibus turpibus, aut alijs cantilenis, sed magis diuinis officijs. non se fucis, aut alijs pigmentis pingant: non permittant filios, & famulos, quos occupant in alendis pecoribus, Missas, & alia diuina officia in diebus festis omittere: & si aliter fieri non potest, vt se adinuicem coadiuuent, & concordent: quòd saltem alternis diebus festis faciant illos Missas audire, & alia diuina. Itaque qui in proximo die festo Missam non audierit, illam audiat in sequenti: & ille, qui audierit, pecora custodiat. Item quòd vnusquisque inuigilet super eosdem, ne quid turpitudinis per eos exerceatur: perlustret, ac recenseat saltem semel singulo annò, si non frequentius, familiam suam, si omnes Christianè viuant: si omnes, seu quilibet ad ætatem legitimam prouectus, sit peccata sua confessus, & eucharistiam susceperit. Moneantur quoque familiares, & domestici ad gratias

ſemper agen. Deo, priuſquàm cibum ſumant, & etiam ſumpto cibo,& hoc tam in prandio,quàm in cæna.eos autem,quos blaſphemos,vel alio vitio laborantes, vel ſanctæ matris eccleſiæ præceptis non obtemperantes inuenerint, nequaquam domi ſuæ manere permittant, quum etiam pro ſubditorum ſuorum exceſſibus rationem Deo reddere quilibet teneatur, dicente Propheta, Ab alienis parce ſeruo tuo:eos etiam,quum opus fuerit,bene tractent, memores eos,& ſi ſerui ſunt,homines tamē eſſe, & proximos, ac fratres noſtros :quum ex eodem parente originem omnes trahamus, nihil inter nos, & ipſos in his, quæ naturæ neceſſaria ſunt,differre putemus. Interdicant omnino domeſticis ſuis abuſum illum accedendi hyemali tempore ad ſtabula, vt ibi luxurientur perſonati cum mulieribus illis, quę frigoris aſperitate coactæ nocte præſertim eò conuenire ſolent: quum ex eo conuentu,ac ſexuum commixtione,quę liberiorem luxuriandi occaſionem prębet, tot fraudes,tot familiarum excidia,tot ſcandala, tot hommicidia, tot adulteria, tot virginum corruptiones, tot clandeſtina matrimonia exoriri compertum ſit. Quem abuſum, & tanquàm peſtiferum quendam morbum nos tollere cupientes mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ vniuerſis,& ſingulis Curatis,quòd niſi poſt canonicas monitiones debitis interuallis factas paruerint, à diuinis omnino ceſſare debeant.

Tot clandeſtina matrimonia.] Meminiſſe debent Curati matrimonia clandeſtina inualida eſſe, ac nulla hoc tempore per Conc. Trid.ſeſſ.24.cap.1.de reform.matrimonij.

Paruerint,&c.) Hoc eſt niſi, ad ſtabula perſonati, & cum ſcandalo conuenire deſtiterint.

De

De puerorum magistris, & pædagogis; & ne in scholis legantur lasciui authores. Cap. XVIII.

QVVM à teneris assuescere multum sit:& non expediat teneros adhuc adulescentium animos lasciua, & impudica opera auscultare,monemus omnes, & singulos parentes,tutores,& curatores,quòd summam diligentiam adhibeant in eligendo, quibus præceptoribus vtantur liberi sui, & pueri illi, quorum tutelam susceperunt, quos semper ex melioribus optimos inueniant, qui religiosi sint, ac benè morati, & Deum timeant: lasciuos, & scandolosos authores abhorreant: & non tantum litteras, quantum bonos mores,& christianam vitam profiteātur: quum enim in maleuolam animam non intraturam sapientiam scriptum sit, oportet eorum animas, priusquàm linguas disertas fieri: summam quoque diligentiam adhibeant in eligendis pędagogis, quorum custodiæ liberos suos credunt:est enim obseruatum,magna cum difficultate tolli posse vitia illa, quibus tenera adhuc ætas vel pedagogorum, vel magistrorum culpa, vel parentum incuria imbuta sit,quæque vnà cum ætate excreuerint.

Lasciuos,& scandalosos, &c.] In indice librorum prohibitorum edito iussu Concilij Tridentini extat hæc salutaris regula,quæ est septima. Libri,qui res lasciuas,seu obscænas ex professo tractant, narrant, aut docent,cum non solum fidei,sed & morum,qui huiusmodi librorum lectione facilè corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur: & qui eos habuerint,seuerè ab Episcopis puniantur. Antiqui verò ab ethnicis conscripti porpter sermonis elegantiam,& proprietatem pemittuntur:nulla tamen ratione pueris pręlegendi erunt.

Quòd in populo numeroſo conducatur vnus præceptor. Cap. XIX.

QVVM nulla melior hæreditas, & firmior poſſeſſio à parentibus filijs ſuis virtute relinqui poſſit, moneant Sacerdotes Curati, ſiue ipſi ad hoc idonei, ſiue non idonei fuerint, vt curæ, ac eccleſiæ liberius vacare poſſint, Sindicos, Maſſarios, & Conſiliarios locorum, & màximè populoſorum, quòd pro inſtituendis pueris conducant publicè pręceptorem aliquem, quem prius nobis, aut Vicario noſtro præſentare teneantur: vt ipſum coram ad fideliter munus ſuum exequendum monere, & hortari valeamus. In qualibet autem ſchola volumus, quòd ad minus in ſero puerulì paruuli, priuſquàm domum dimittantur, genibus flexis omnes alta, & intelligibili voce dicant orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Salue Regina, Symbolum Apoſtolorum: & ſignent ſe ſanctiſſimo ſigno crucis.

De Congregandis, & erudiendis pueris in eccleſiis. Cap. XX.

EX ſtudijs ſuis intelligetur puer, ſi recta, & munda ſint opera eius: & adulefcens iuxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. Deploranda quidem noſtræ tempeſtatis, & verè tempeſtatis calamitas: in qua plurimi etiam ſenes, & patres familias reperiuntur, qui quum diuerſa ſtudia, diuerſas artes calleant, chriſtianę profeſſionis apparent penitus imperiti: in qua tamen profeſſione proficere tam pro ſua, quàm aliorum, præcipue quibus præſunt, inſtitutione neceſſarium fuerat: nam quomodo ſcient, aut docebunt alios, quod neſcierint ipſi

fugere:

fugere: aut illud quod ignorauerint, exercere? Proinde, quum pueros diebus ferialibus in seculi disciplinis modis superius expressis erudire cupiamus, decens est, vt diebus festiuis studijs christianę institutionis intendant. Cupientes igitur, vt feliciter inchoatum felicius prosperetur institutum, quo diebus dominicis, & festiuis pueri, & alij in ętate tenera constituti, qui diebus huiusmodi (prout ætas illa in malum prona est) ad ludos, rixas, & alia illicita diuertere consueuerunt, in ecclesijs conuenientes christianis religionis rudimenta, aliaque ad salutem necessaria doceantur, omnes, & singulos Rectores, & capellanos prædictos, aliasque personas ecclesiasticas hortamur, & rogamus in domino, vt huic operi sedulo studeant, & inuigilent, paruulos ipsos eisdem diebus in ecclesijs congregando, disciplinis sanctissimis imbuendo, & dirigendo, eos exhortando, vt librũ interrogatorij Præceptoris, & discipuli, quem imprimi fecimus, sibi familiarem reddant: & saltem semel in mense confiteantur: vt sic retrahantur à malo, & confortentur in bono: ac ad virtutum, & gratiarum proficiant incrementa: & fermento veteri derelicto, abolitaque scabra rubigine vetustatis, noua, sancta, ac Deo placens progenies exurgat: iactaque in eis semina in agro dominico fructus afferant copiosos. Ad quod quidem personæ ecclesiasticæ alacri animo, pronaque voluntate intendere debent, quum iam viderint quàm plures seculares huic operi manum apposuisse: à quibus se in hoc genere vinci, cederet in dedecus non modicum ordinis clericalis.

Syn. Tridentina sess. 24. c. 4. de reform. Episcopi etiam saltem dominicis, & alijs festiuis diebus pueros in singulis parochijs fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab ijs, ad quos spectabit, doceri curabunt: & si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus priuilegijs, & consuetudinibus.

dinibus. Pius V. in Bulla edita anno 1572. quæ incipit, Ex debito pastoralis, hortatur omnes ad hoc pium docendi pueros munus, mandat episcopis, eorumque Vicarijs, vt Societates, seu confraternitates erigant auctoritate apostolica, vt inde operarij ad hoc opus exercendum educantur: ac denique 40. dies indulgentiæ largitur, quotiescunque se in hoc sancto exercitio occupauerint. Gregorius autem xiij. eodem anno 1572. per Breue, quod incipit, Illius, qui pro gregis, extendit illos 40. dies, ad centum.

Quòd vocati ad sanctum Chrisma conficiendum teneantur personaliter accedere. Cap. XXI.

NE scandalum fiat propter defectum clericorum necessariorum in confectione sancti Chrismatis in die Cœnæ domini, statuimus, & ordinamus, ac præcipimus, & mandamus: quòd omnes illi parochiales Rectores, quibus contigerit aut sorte, aut per circulum iuxta morem accedere ad nos coadiuuandum in die Cęnę domini circa confectionem sancti Chrismatis, personaliter accedere debeant: & non possint alios pro se mittere: nisi ex necessaria, & per nos approbata causa: qui omnes congruo tempore præsentent se: & singuli habeant paramenta sua coloris albi munda, & honorabilia.

Quòd laici non mittantur ad accipiendum Chrisma: & in qualibet parochiali sit sua capsula. Cap. XXII.

VT sacramentorum reuerentiæ, quantum cum Deo possumus, cosulamus, & scandalis, quæ ex sacerdotum incuria euenire possent, obuiemus, prohibemus distri-

ctius (cum non deceat, quæ sancta sunt, per prophanis manus contractari) ne in posterum ab aliquo Sacerdote ad ecclesiastica sacramenta suscipienda aliquis laicus destinetur; quod recte ignominiosum est, & perquàm periculosum: cum ex hac sacerdotum incuria, seu malitia multa scandala euenerint; & maleficia plurima sint subsecuta. Quocirca sacrista, uel alius per eum deputatus ad dispensandum huiusmodi sacramenta alicui laico dare non debeat: nec etiam sacerdoti non habenti capsullam cum suis ampullis stanneis, & claui secundum morem. si quis autem huiusmodi statuti transgressor extiterit, tam sacrista, vel alius vices suas gerens, quàm ille, qui destinat, sacerdos grauissimè toties quoties plectetur.

Si verè non sit clericus, qui mitti possit, mittatur vir pius, fidelis, & honorabilis; atque in hoc conscientiam mittentis oneramus.

De Cathedratico infra certum tempus soluen. Cap. XXIII.

AD tollendum damnabilem abusum nonnullorum Archipresbyterorum, & aliorum Curatorum, qui tam ex iuris debito, quàm ex longæua seruata consuetudine obligati sunt in signum subiectionis, & obedientiæ, annale præstare cathedraticum sedi Episcopali Veronen. differentium illud exoluere vsque in diem, qua percipiuntur sacramenta, quasi tunc temporis illud (vt verbo improbo aliquorum ex eis vtamur) persoluant pro sacramentis: cum talia & gratis, & reuerenter quisque accipere, & dare teneatur: mandamus, & hac presenti constitutione monemus quemlibet Archipresbyterum: vel ecclesiæ cuiuslibet Rectorem: à quo præstari debet cathedraticum prælibatum: vt illud per singulos annos per totum

tum

tum mensem aprilem integraliter soluisse debeant: sub pœna duplici contrafacien. in remissibiliter auferen. & officiali cum executione misso ad plenum satisfaciendi.

De habendo libello Baptismatis, et libro Sacerdotali. Cap. XXIIII.

SACERDOTES omnes Curati, qui fontes Baptismatis habent, habeant in baptizando librum Cathecumenorum, seu baptizandi secundum morem Cathedralis nostræ Ecclesiæ Veronen. quem ob eam causam de nouo imprimendum curauimus: vt omnes in baptizando eadem forma vtantur: mosque iste seruetur per totam ciuitatem, & diœcesim nostram. habeantque præterea prædicti omnes penes se, qui intitulatur liber Sacerdotalis, tamquàm Clericis omnibus, & maximè Curatis per quàm vtilem, ac necessarium.

De tenendo libro pro scribendis nominibus compatrum, & baptizatorum: & quòd nihil accipiatur pro scriptura. Cap. XXV.

VT legitimè, quando opus sit, probari possit ætas, paternitas, & filiatio tam naturalis, quàm spiritualis prolis, Curatos omnes ecclesiarum baptismaliũ ciuitatis, & diœc. nostræ admonemus, vt librum particularem habeant: in quo tam baptizatos, quàm compatres describãt. quem librum prædictum Sacerdotes præfati teneant apud se: & in qualibet parochia illum perpetuò dimittant: quem in perpetuum cum omni diligentia custodiri volumus. Scribatur autem hoc modo. Anno tali, & die tali mensis

talis per me N. Archipresbyterum, seu capellanum talis ecclesię parochialis talis loci N. filius, vel filia N. Baptizatus, vel baptizata fuit. Talis, & talis leuauerunt eum: vel eā de sacro fonte. Et ad omnem simonię labem remouēdam prohibemus, quòd nullus sacerdos baptizans audeat pro nominibus huiusmodi scribendis pretium, aut aliquid omnino aliud, etiam mininum petere, vel recipere.

Ecclesiarum baptismalium, &c.] Quamuis nonnullæ ecclesię parochiales fontem baptismalem ex concessione nostra, vel aliorum Episcoporum, vel alio quouis modo obtinuerint, tamen intelligant earū Rectores, seu Curati non esse eadem conditione, qua sunt illæ, quæ de iure antiquissima consuetudine roborato baptizandi habent facultatem. Proinde baptizare quoscunq; vtriusque sexus infantes cuiuscūque parochiæ ciuitatis, & suburbiorum Veronæ ad se delatos, licentia proprij parochi minime requisita, licet solum R. Archipresbytero, & capellanis DD. Canonicorum ecclesiæ Cathedralis ad baptizādum deputatis, & reliquis quatuor Archipresbyteris Veronæ, idest plebium S. Stephani, SS. Apostolorum, S. Ioannis in Valle, & S. Proculi, eorumque capellanis, & deputatis. Curatis verò reliquis quarūcunque ecclesiarum parochialium, tametsi habeant fontes baptismales, nequaquam licet solenniter baptizare quoscunque. Quare per hanc nostram constitutionem districtè mandamus, ac præcipimus omnibus Curatis, & capellanis, & sacerdotibus quarumcunque ecclesiarum, in quibus sunt fontes baptismales ex concessione nostra, vel aliorum Episcoporum, vel alio quouis modo, vt neminem solenniter baptizent, seu baptizare permittant in suis, vel aliorum ecclesijs, qui non sit de eorum propria parochia: licet etiam ad eorum ecclesias ipsis inscijs delatus esset. Qui secus fecerint, ipso facto sint suspensi: & ad soluendum quindecim libras Veronenses fabricæ ecclesiæ cathedralis pro quolibet infante sint obnoxij: quibus persolutis à suspensione absoluentur. Sciantque nullo prætextu commodi, vel incōmodi cōpatris alicuius, aut cōmatris, aut quouis alio impetraturos vnquā, vt per nos, aut Vicarū nostrū huic cōstitutioni derogetur.

Vt librum] De libro, in quo scribantur nomina compatrum præceptum est Concilij Tridentini in sess. 24. c. 2 de reformatione Matrimonij.

Scribatur autem hoc modo, &c. Ad vitandas controuersias, quæ oriri possent, volumus, vt non solum in eo libro explicetur nomen patris, si scitur, & matris, si pater ignoretur, verum etiam an infans sit legitimus, nec ne. perspicuitatis igitur gratia subiicimus exemplum. 1589. die 15. Augusti per me.N.Archipresbyterum, seu capellanum ecclesiæ parochialis S. Stephani Veronæ baptizatus fuit Petrus Franciscus filius legitimus, seu naturalis Donati Guarini Pistoris de S.Andrea.Compater fuit,&c.

De mandatis curiæ Episcopalis exequendis. Cap. XXVI.

QVONIAM nonnulli ecclesiarum Rectores, seu Capellani diœc.nostrę ad exequendum mandata nostra, seu Vicarii nostri remissi, & negligentes reperiuntur, ea propter mandamus omnibus, & singulis presbyteris, & clericis ciuitatis, & dię.nostrę, quatenus diligenti cura huiusmodi mandata nostra, & officii nostri citationes, monitiones, suspensiones, excommunicationes, fructuum sequestrationes pro fabricis faciendis, & alias litteras nostrę curię Episcopalis sine mora exequantur: fidelemque in scriptis de earum executione,& exequendi modo relationem per executionem eorundem signatam mittant: aliàs negligentes in Episcopali palatio coram nobis personaliter prę sentandos curabimus, graui pœna pro negligentię modo in eos animaduersuri.

Vt ecclesiæ principales visitentur à beneficiatis, & capellanis ecclesiarum subditarum. Cap. XXVII.

ORDINAMVS,& præsenti constitutione statuimus, vt omnes Rectores ecclesiarum, quę sunt alicuius ple-

plebis capellæ, aut alicui ecclesiæ subiectæ quoquo modo, in die sabbati sancti teneantur ire omni anno cum suis cottis ad suas plebes, seu matrices ecclesias iuxta morem iamdiu obseruatum, sub pœna lib. quinque applicandarum illi ecclesiæ, in cuius iniuriam contumaciter renuerint accedere.

Quòd inquirant, & denuntient hæreticos, et alios criminosos: & de publicando ter in anno edicto impresso circa talium denuntiationem. Cap. XXVIII.

CVPIENTES, quantum cum Deo possumus, gregi nobis commisso consulere, & in primis omni studio illum ipsum ab omni nedum hæretica prauitate, sed suspicione tueri, & custodire, & ab omni superstitione liberare, & peruersorum audaciam, & temeritatem compescere, monemus omnes, & singulos ecclesiarum Parochialium Rectores, eorumque locatenentes, capellanos, Vicarios, vel substitutos, eisdemque nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo committimus, & mandamus, quatenus omnem diligentiam, inquisitionem, & indaginem in parochijs, beneficijs, & plebibus suis facere nō desistant, si aliqui inter eosdem parochianos suos fortè reperiantur hæretici, schismatici, lutherani, vel qui scripta, & opera hæreticorum huiusmodi penes se habeant, & ea legant, aut de illis quoquo modo referant: excommunicati, incantatores, malefici, lamij, seu lamiæ, vel strygones, publici concubinarij, manifesti vsurarij, uenefici, blasphematores, seu Deum, & sanctos publicè maledicentes, Monialiū violatores, & earum monasteria frequentantes, & qui sinceritati catholicæ fidei quoquo modo detrahant, seu qui

non confiteantur, & sacram Eucharistiam saltem semel in anno non recipiant: vel qui gentilium, & paganorum more viuant: qui summo Pontifici, & Episcopis, & aliis prelatis, & personis ecclesiasticis detrahant, & maledicant: eosque, si quos inuenerint, ex nunc debeāt, ac teneantur nobis, seu Vicario nostro denuntiare, vt nos Domino concedente contra huiusmodi pernitiosos homines insurgere: eosque iusto Dei iudicio compescere, vel ad correctionem, & salutarem pœnitentiam reducere possimus. Et vt singulis innotescere valeat res tanti momenti, edictum nostrum iam impressum circa denuntiationem hæreticorum per Curatos in earum ecclesiis infra Missarum solennia populi multitudine astante ter in anno publicari volumus, & mandamus, videlicet in mēse septembri, in Natiuitate Domini, & tertia dominica quadragesimæ.

Edictum contra hæreticos.

MAndato Reuerendi D. Episcopi Veron. & legati apostolici etiam super exemptos, quibuscunque tam ecclesiasticis, quàm secularibus personis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna præcipitur, quatenus omnes, & singulos, quos sciant, vel in futurum sciuerint Lutherana, vel alia qualibet hæresi infectos, seu de fide catholica malè sentientes, aut de ea, & sacramentis, & ecclesiastica potestate obloquentes, vel eorū credentes, fautores, receptores, ac defensores, & heresi ipsa diffamatos, seu suspectos, vel libros hereticorum, seu de heresi suspectos habentes, in termino dierum nouem à die publicationis presentium, vel postquàm præmissa ad eorum notitiā peruenerint, quorum dierū tres ꝑ primo, tres pro secundo, & reliqui tres pro tertio vltimo, & peremptorio

rio termino, ac trina canonica monitione, eisdem assignan tur, præfato Reuerendo D. Episcopo, seu eius D. Vicario propalasse, & indicasse debeant.

PRæterea omnibus, & singulis Archipresbyteris, & parochialium ecclesiarum Rectoribus, seu eorundem loca tenentibus mandatur, quòd præsentes litteras in eorum ecclesiis inter Missarum solennia publicare toties, quoties in superiore constitutione expressum est, & expedire videbitur, debeant, grauitatem, malignitatem hæreticæ prauitatis explicando. Inuigilent insuper pro hac peste indaganda: & si quid inuenerint (quod absit) præfacto R.D. Episcopo, seu eius D. Vicario referant.

Dat. in nostro Episcopali Palatio die 5. Martij 1541.

Quoniam pro varietate temporum variantur isthæc edicta, & morbis enascentibus, tanquam præsentia medicamenta accommodantur, volumus post hac d.l gentissimè seruari edicta, quæ pro tempore emanabant à nobis, atque à R. Inquisitoribus.

DE SACRAMENTIS ECCLESIASTICIS, ET ILLORVM VSV, ADMINISTRATIONE, ET SACRORVM VENERATIONE.

TITVLO QVINTO.

De aqua sancta. Cap. I.

SACERDOS quilibet curatus populum aqua benedicta con deuotione aspergat, quam prius omni die dominico exceptis Pascali, & Penthecostes benedici volumus: qua & altaria, & plebes aspergantur: ad quod solum agendum speciale mundum, & decens vas habeatur.

De custodia, & loco Eucharistiæ. Cap. II.

CVM in visitationibus ciuitatis, & dioec. nostræ, quas & per nos, & per alios per nos delegatos superioribus annis faciendas curauimus, sacramentum magnum, quod est Eucharistia, in multis locis non ita dignè, atque in loco honorabili, prout decet, repertum sit, mãdauimus, & ita denuo præsenti constitutione mandamus, quòd in qualibet Parochiali ecclesia, in qua Eucharistia in conuenienti loco non tenebatur, tabernaculum ligneum, aut ex alia materia pulchrum cum sua claui fiat, & super altari magno collocetur: & ita benè, & firmiter stabiliatur, vt inde per sacrilegas manus auelli nullo modo possit; vt sic Eu-

Eucharistia sit in loco singulari, mundo, & clauso; & conseruetur in sua pyxide non ex vitro, aut ligno, aut ebore; sed honorabili: in plebibus, ac locis pinguibus ex argento, in alijs verò ex aurichalco deaurato secundum formam per nos ostensam cum suo corporali, ac suo sericeo velo.

De innouando sacramentum ad minus bis in mense. Cap. III

QVVM inter cæteras admonitiones, quæ ordinandis in subdiaconos dantur, ea potissimum soleat esse, Oblationes, quæ veniunt in altari, panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum debet poni in altari, quantum possit populo sufficere, ne aliquid putredinis in sacrario remaneat: ea propter scientes, quòd ad hoc multò magis sacerdotes tenentur, statuimus, & ordinamus, vt omnes iurisdictionis nostræ sacerdotes animarum curam, & Eucharistiæ administrationem in Ecclesijs suis habentes, ad minus bis in mense Eucharistiam infirmorũ causa reseruatam sumant, & nouam parent.

Quòd continuè ante corpus Christi ardeat lampas. Cap. IIII.

MONEMVS etiam quoscunque ecclesiarum, vel beneficiorum, dignitatum, vel officiorum ecclesiasticorum quorumcunque curam animarum habentium Rectores, Commendatarios, eorumq; vices gerentes, surrogatos, vel capellanos pro tempore existentes, vt ante sacramentum, quod est lucis candor æternæ, lampadem semper die, noctuque ardentem conseruent, quum in lege manda-

tum

tum sit per dominum, Ignis semper ardebit in altari meo: seruato more,& consuetudine cuiusque loci, etiam si quis alius in honorem sacramenti, & in remissionem peccatorum suorum lampadem accensam sumptibus hęreditatis suæ teneri in testamento, aut legato, aut alio quouis modo reliquerit, sub pœna solita denuntianti, & hoc cum saltem vno teste, & eius iuramento comprobanti pro dimidia, & pro altera dimidia, in alios pios vsus, prout nobis visum fuerit, dispensanda: quam pœnam Rectores ipsi, seu beneficiorum conductores, aut eorum capellani, seu illi, qui ex antiqua consuetudine obligati sunt ad manutenendum prędictam lampadem accensam, siue sint laici ecclesiarum illarũ parochiani, siue clerici, toties, quoties contrafactum erit, eo ipso sine aliqua exceptione incurrant.

De modo seruando, cum Eucharistia defertur ad infirmos. Cap. V.

QVVM autem sacerdos Eucharistiam ad decubantem deportauerit,eam,quam duplicatam ad minus habeat,in habitu decenti,idest cum superpellitio,stola, seu orario super posito mundo velamine ferat, & referat manifestè, ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia, & timore, sẽper lumine, ac campanella prę̨cedentibus;vt ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur: & si opus etiã fuerit, moneatur populus, vt se reuerenter inclinet. In qualibet igitur parochiali ecclesia sit vna laterna honorabilis aurata cum suo baculo in vsu habenda, ne in itinere aut ventorum turbine, aut nimborum vi lumen deficiat.

De

De indulgentia aſſociantium corpus domini noſtri Ieſu Chriſti: & de ſigno dando cum campana ad inuitandum aſſociantes. C. VI.

VT autem feruẽtius homines excitentur ad aſſociandum ſacramentum corporis domini noſtri Ieſu Chriſti, cum ad infirmos defertur, omnibus verè pęnitentibus, & confeſſis, qui ſacerdotem Euchariſtiam ad infirmos ſic (vt permittitur) deferentem, eundo, & redeundo reuerenter, & deuotè aſſociauerint, vel ſecuti fuerint cum lumine à ſe portato ſiue die, ſiue nocte, toties, quoties fecerint id, quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentijs præter indulgentias auctoritate apoſtolica conceſſas auctoritate noſtra ordinaria nunc in domino relaxamus. Adijcientes, quòd in qualibet parochiali eccleſia mos iſte introducatur, vt priuſquàm ſacerdos accedat ad infirmum cum ſacramento, ſemper pulſetur Aue Maria: & dentur quædam ſigna ad inuitandum populum ad iſtud pijſſimum opus, & prædictam indulgentiam conſequendam. Laudabile ſanè inſtitutum eſſet, ſi quoties ſacramentum ad infirmos defertur, vnus ſaltem pro qualibet domo, & familia, cæteris occupatis, ad aſſociandum ſacramentum venire obligaretur: ad quem vſum omnes apud ſe retineant vnam candelam.

Quòd in qualibet parochia introducatur societas corporis domini nostri Iesu Christi. Cap. VII.

SI dominum in sanctis eius laudàre iubemur, dignum profectò,& iustum videtur,& nobis salutare existit, vt in sui,quò nos quotidie spiritualiter reficit,memoriam sacratissimi corporis, deuotam aliquam societatem excitemus,quæ fidelium animos repleat gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ deuotionis lachrymas subministret. Hortamur igitur,vt in qualibet parochiali ecclesia ciuitatis, & dioec. nostræ Veronen. sit vna venerabilis societas in honorem sacratissimi corporis domini nostri Iesu Christi; quæ vt facilius inchoetur,& manuteneatur,ac amplietur, & in eadem societate fratres descripti feruentius in tam pio proposito perseuerent,indescripti verò ad se huiusmodi deuoto congregandum consortio promptiores, & alacriores aduolent, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pęnitentibus,tã præsentibus, quàm futuris eiusdem societatis confratribus,qui dominicis suis ordinarijs, & alijs diebus ad id deputatis tabellas suas leuauerint, vel dictam societatem intrauerint, de omnipotentis Dei misericordia confisi quadraginta dies nostra ordinaria auctoritate,& alios quadraginta Apostolica nobis concessa de iniunctis sibi poenitentijs misericorditer in domino relaxamus. Moneant igitur sacerdotes parochianos suos ad assumendum Iesum Christum dominum pro socio,& confratre,exhortando, quòd bonum esset, si omnes Christi fideles essent in hac sanctissima societate, ordinem ponendo circa processiones in tanti sacramenti honorem

norem faciendas, & tantum sacramentum associandum, quum ad infirmos defertur.

De societate Charitatis. *C. VIII.*

QVVMQVE in hoc sanctissimo sacramento, in quo passionis domini memoria recolitur, eius exuberans charitas explicetur, conueniens, quin potius necessarium fuit, vt ad Dei honorem, & gloriam, pauperumque, ac miserabilium personarum, quæ Christi membra esse censentur, subuentionem, ac totius gregis curæ nostræ commissi compagem, charitatis nexibus tanquam firmissimis glutinis connectendam, & mutuæ pietatis officijs manutenendam, & adiuuandam institueretur in ciuitate Veronen. sancta, ac laudabilis societas Charitatis: circa cuius directionem, & prosperum incrementum nonnullas ordinationes iam edidimus. & quum ex ea quasi adhuc in eius primordijs tot pietatis, & misericordiæ opera prodire conspiciantur, & in dies maiora sperentur, hortamur omnes, & singulos ecclesiarum ciuitatis, & dioec. nostrarum Rectores, & capellanos, eisque nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt iuxta formam litterarum nostrarum, quas impressas aliàs per dioec. nostram transmisimus, & pro tempore transmittemus, subditos suos ad conseruationem, & augumentum societatis huiusmodi moneant, inducentes ipsos ad eleemosynas eidem confraternitati illius intuitu largiendum, à quo cuncta, quæ possident, acceperunt. Ad quas quidem eleemosynarum largitiones etiam ipsi rurales se non debent difficiles exhibere, quasi ipsos negocium huiusmodi non attingat, quum præter id, quod charitas non quærit, quæ sua sunt, multi etiam ex ipsis ruralibus ope eiusdem societatis captiui re-

R 2 diman-

dimantur, litibus fatigati reficiantur, & adiuuentur, & paupertate oppressi releuentur: sciturì omnes tam clerici, quàm laici, quòd si pro charitate libenter, & solerter elaborare, & ei opem ferre neglexerint, charitatem non habere procul dubio dignoscentur, quia charitas est fons proprius, cui non communicat alienus.

Viuę vocis oraculum super indulgentijs concessis societati Charitatis erectæ in ciuitate Veronensi.

GASPAR Miseratione diuina tituli Sanctæ Balbinæ Sanctæ Romanæ ecclesiæ Presbyter Cardinalis Contareuus nuncupatus, fidem facimus, & attestamur, quòd nuper postquam aliàs felicis recordationis Clemens Papa septimus in ciuitate Bononiensi existẽs ad supplicationẽ venerabilis in Christo patris dñi Ioannis Matthęi Dei gratia Episcopi Veronen. oẽs, & singulas indulgentias per quosuis Romanos Pontifices prædecessores suos Societati Charitatis almæ Vrbis concessas Societati eiusdem Charitatis in ciuitate Veronensi erigendæ, seu instituendæ Viuæ vocis oraculo communicauerat, concesserat, & ad illam extenderat, accepto per sanctissimum dominum nostrum dominum Paulum diuina prouidentia Papam Tertium, quòd Societas Charitatis in ciuitate Veronensi huiusmodi in Dei omnipotentis laudem, & gloriam, ac pauperum consolationem Christi, fideliumque dictæ ciuitatis Veronensis deuotionis augmentum assidua ipsius domini Episcopi ad id præstita diligentia iam erecta, & instituta existebat, & in dies cò maius incrementum recipere posse sperabatur, quò ingredientes Societatem huiusmodi inibi dono cœlestis gratiæ vberius nouerint se refertos, idem Sanctissimus dominus

noster

noster domin⁹ Paulus simili viuæ vocis nobis eiusdē Episcopi nomine sanctitati suæ super præmissis supplicātibus facto oraculo communicationem, concessionem, & extensionem indulgentiarum huiusmodi approbauit, & confirmauit, & quatenus opus esset innouauit, ac de nouo communicauit, concessit, & extendit.

IN QVORVM Omnium fidē, & testimonium præmissorum præsentes litteras manu propria subscripsimus, & per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi, sigillique nostri oblongi iussimus, & fecimus appensione communiri. Dat. Romæ in Palatio apostolico in camera nostræ solitæ residentiæ sub anno à natiuitate domini Millesimo quingētesimo trigesimonono Indictione duodecima, die varò vigesima prima mensis Aprilis Pontificatus prælibati Sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Pauli diuina prouidentia Papæ III. anno quinto.

Ita est Gaspar Card. Contarenus scripsi manu propria.

C. Gualterutius de mandato scrip.

Ordinationes iam edidimus] Extat libellus de Institutione huius societatis charitatis per nos auctus, editus anno 1578.

Quòd publici concubinarij, & concubinæ, & alij enormes notorij peccatores non recipiantur ad communicandum etiam cum sigillis pœnitentiariorum, seu officij. Cap. VIIII.

QVVM multi reperiantur, qui aut in cõcubinatu, vsuris, & alijs notorijs peccatis perseuerantes, & scandalosi, aut obligati ad restitutionem bonorum, promittãt se omnino ad meliorem vitæ frugem reducere, aut infrà terminum competentem sibi assignatum iuxta facultates suas satisfacere velle, & quum post vnum, & duos, & deinceps multos annos promissa non exequantur, dubitantes, quòd si eisdem parochianis suis singulis annis confiterentur, nullo pacto absoluerentur, in graue animarum suarum præiudicium à diabolo obcęcati confessores mutant maliciosè, à quibus quum aut eis veritas non sit dicta, aut quum tales sacerdotes siue ex ignorantia, siue ex alia causa non confessores, sed confusores sunt, credentes se absolutos, à parochianis suis, eorum quasi inuitis dentibus ad sacram communionem admitti volunt, interceptis litteris officij, aut sigillis nostrorum pœnitentiariorum, mandamus, quòd sacerdotes Curati nullo modo admittant istos tales concubinarios, fures, & vsurarios, ac alios adhuc in peccato perseuerantes ad sacramentum etiam cum dictis sigillis, seu bullettis: quum impossibile esset, quòd tales potuerint absolui, si veritatem dixissent, quum adhuc in peccato perseuerẽt, & sint scandalosi, & nullam satisfactionis, aut pœnitentiæ partem præmiserint.

De reuerentia, & custodia sacrorum sacramentorum. Cap. X.

NE propter irreuerentiam sacramentorum ira Dei sequiat in ministros,& ne ad ea, quæ ad salutem nostram proposita sunt, temeraria manus extendi valeat ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda, statuimus, & ordinauimus, seu ordinamus, vt Chrisma, & oleum sanctum, & cætera sacramenta sub diligenti custodia seruentur: ipsosque curam animarum exercentes etiam admonemus, vt claues sacramentorum apud se obseruent, eas in manu laicorum, vel clericorum, aut iuuenum non dimittendo, quibus cum claues thesauri,ac pecuniæ suæ verisimiliter non dimitterent, multò minus has,per quas regni cœlorum portæ aperiuntur, huiusmodi credere debent.

De chrismino stanneo. Cap. XI.

HABEAT vnusquisque Curatus habens fontem baptismalem suum chrisminum ex stanno, non autem ex aurichalco propter rubiginem: vasculum autem pro oleo infirmorum sit separatum, & in pyxide honorabili teneatur cum panno lineo mundo, & candido: vt eo commodius semper vti possit, & securius etiam nocturno tempore: cum quo intrans ad infirmum ad vngendum habeat superpelliceum, & stolam:& cum debita reuerentia illud tractet.

Quòd

Quòd sacramenta non concedantur ad alium vsum, quàm per ecclesiam ordinatum. Cap. XII.

VOLENTES sanctum ecclesiæ institutum (sicut tenemur) seruare, & nullo pacto permittere, vt contra Dei, & domini nostri præceptum sanctum detur canibus, & margaritæ ante porcos spargantur, memores etiã in Pontificali, vbi de olei consecratione mentio fit, inter cętera demandari, vt pontifex iubeat presbyteris attentè, vt iuxta canonum traditionem, Chrisma, & oleum fideliter custodiant, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficij tradere præsumant: alioquin honore priuentur: statuimus, & mandamus; vt demandationem supradictam omnes diligenter custodiant: contrafacientes autem, qui aliquo sacramento ecclesiastico abusi fuisse conuincentur, aut per se exercendo, aut per alios exerceri permittendo, ipso facto laici quidem excommunicationem incurrant: clerici verò præter eandem excommunicationem beneficiati quidem beneficijs priuentur, & exilio multentur: non beneficiati autem carceri annuo deputentur, & postea in exilium eijciantur.

Non liceat vti sacramentis veteribus. Cap. XIII.

QVIA nonnulli sæpe reperti sunt in ciuitate, & diœc. nostra sacerdotes, qui ex crassa ignorantia, seu malitia per multos dies, & menses, & nonnunquàm per totum annum

annum integrum ſacramentis nouis carentes, veteribus abuſi ſunt tam in Baptiſmate, quàm in Extrema vnctione, non aduertentes, quòd tales improbi ſacerdotes digni ſunt depoſitione ſecundum Canonicas ſanctiones, hac præſenti conſtitutione ſancimus, quòd vtentes chriſmate, & alijs ſacramentis veteribus vltra iuris pœnam grauiter punientur.

De Baptiſmo. Cap. XIIII.

CIRCA autem Baptiſmum, qui eſt ianua omnium ſacramentorum, aduertant ſacerdotes, quòd aliquem non baptizent, niſi in aqua elementari, ſiue ſit calida, ſiue frigida, non refert, cum cerimonijs, & forma conſueta: non ergo in aqua roſea, ſeu vino, aut aliquibus liquoribus ſimilibus fiat Baptiſmus. Modum, & formam baptizandi memoriter teneant: & habeant omnia parata ad actum baptizandi neceſſaria, cum non ſit ſemper ocium ad librum recurrendi, & neceſſaria tam repentine quærendi. Et quia etiam plures caſus repentini ſæpius occurrere ſolent, & in neceſſitate etiam laici baptizare poſſunt, immo non ſolum poſſunt, ſed etiam debent, aliàs mortaliter peccarent, inſtruant ſaltem ſemel in menſe in die feſtiuo laicos parochianos ſuos, qualiter & ipſi laici in caſu neceſſitatis, videlicet cum ſacerdotis copia haberi non poſſit, vel ſi infantes in articulo mortis conſtituti ſint, tam mares, quàm fęminæ baptizare poſſunt, infundendo aquam ſuper infantis caput, verba ſequentia, & non alia attentè, & cum intentione faciendi, quod intendit eccleſia, dicant. Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ & filij, ✠ & ſpiritus ſancti. ✠ vel, Io te battizo, in nome del padre, & del figliolo, & dello ſpirito ſanto. Admoneant igitur hæc ſæpiſſime ſacerdotes in eccleſia populum ſuum, ne quis ſine baptiſmo dece-

S deret.

deret. Ad hæc si deportaretur aliquis ad Baptismum, de quo dubitaretur, an esset baptizatus, nec ne, post alias ceremonias in alijs ordinarie fieri solitas sacerdotes, quando veniunt ad actum illum battizandi, dicant hæc verba. Se tu sei battizato, io non te battezo, & se tu non sei battizato, io te battezo, in nome del padre, & del figliolo, & de lo spirito santo. Hæc sic vulgariter posuimus, vt instruatur populus, vt si quis fortasse alicui creaturæ occurreret, quã nesciret, an esset baptizata, nec ne, & eam in extremis laborare videret, eam his verbis baptizare posset.

De Ciborio fontis baptismalis, & vasculo tenendo pro actu baptizandi. Cap. XV.

QVVM autem dictum sit supra, non alio liquore baptizari debere, quàm aqua elementari, mandamus, vt in qualibet plebe, & parochiali ecclesia, in qua est fons baptismalis, super eo sit vnum ciborium (prout in visitationibus nostris etiam ordinauimus, & iam ferè per cuncta loca est executioni mandatum) tutum, & benè clausum cum sua claui, in quo teneatur semper parata aqua baptizandi: quam omni anno benedicere in sabbato sancto, & in sabbato Pentecostes Curati debeant; & continue fons ipse benè custodiatur, ne quis aqua baptismali aliquando abuti possit. Et vt tale sacramentum nitidius, ac reuerentius tractetur, teneatur vasculum aliquod honorabile ad hunc vsum solum destinatum, quo inspergatur aqua baptizandi caput.

Mo-

Monitio de eo, quod ſpectat ad Compatres, ac Commatres circa mores filiorum. Cap. XVI.

PERACTO ſacramento ſacerdos Patrino, & Matrinę; ſiue Compatri, & Commatri iniungat, vt parentes infantis ad laudandum, & glorificandum Deum excitent, qui tantam pucro ſuo fecit gratiam, vt Dei filius, cœleſtiſque regni particeps per baptiſmum ſit factus: moneantq; eos, vt ab omni fortuiti euentus periculo cuſtodiant: & cũ ad ætatem peruenerit, dominicam orationem, cum angelica ſalutatione, & Symbolo Apoſtolorum eum diſcere, & in catholica fide edoceri faciant. Quod ſi parentes omiſerunt, aduertat Patrinum, & Matrinam ſe ad hoc eſſe obligatos: nam ipſi in actu illo Deo promittunt, conſtituendo ſe quaſi fideiuſſores, quòd baptizatus tempore ſuo fidelis Deo erit. Hæc, & his ſimilia Sacerdotes Curati non ſolum in actu illo, verum etiam ſæpius publicè in eccleſia infra Miſſarum ſolennia moneant, vt omnes cautiores ſint ad obligan. ſe tanto oneri, & magis charitatiui, ac diligentes erga illos, quos iam tenuerunt.

Vt infantes baptizentur infra decem dies; & de non baptizando aliquo Iudæo ſine ſcitu domini Epiſcopi. Cap. XVII.

ITEM præcipimus, & mandamus, vt Nutrices, Obſtetrices, & Parentes infra x. dies à partu, quantò citius, &

commodius poterunt, baptizari infantes suos curent: prohibemus etiam, vt nullus sacerdos audeat baptizare Iudæum, aut Iudæi fidelium, vel filiam, cuiuscunque ætatis sint, excepto casu necessitatis, nisi prius nobis intimetur, & responsum habita matura consideratione habeatur, ne fraus fiat sacramento, quum prius, an pura fide veniant, indagandum sit, & grandiusculi, antequàm ad baptismum accedant, edocendi sint fidei rudimenta. Et ne quis infidelis propter paupertatem, quum valde apud Christi fideles charitatē refrixisse videat, aut aliàs per auaritiam à baptismo se subtrahat, Bullam nuper à Sanctiss. D. N. D. Paulo emanatam, qua infideles ad fidem inuitantur, hic interseruimus, vt illam sacerdotes debitis temporibus publicare, & in ea contenta ad vnguem obseruare valeant.

PAVLVS PAPA TERTIVS.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Cupientes Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem Catholicam conuerti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem fide non distrahi, Motu proprio, ex certa nostra scientia auctoritate apostolica tenore præsentium, hac in posterum valitura Constitutione sancimus, quòd cuicunque eorundem Iudæorum, & infidelium ad dictam fidem conuerti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque tam mobilia, quàm immobilia intacta, & illæsa permaneant. Ita vt etiam filijfamilias, & in patria potestate, vt præfertur, constituti legitima, & quacunque alia portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque debeant: sed eis inte-

integrè, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus viuentibus debeantur. Et si bona ipsa ex vsura, aut alio illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur malè ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur: personis verò non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios vsus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis, & alijs infidelibus in fauorem suscepti baptismatis, tanquàm in pium vsum liberè concedimus, eaque apud ipsos sic cōuersos Iudæos, & alios infideles remanere debere decernimus. Interdicentes sub diuini anathematis pœna quibusuis tam ecclesiasticis, quàm secularibus personis, ne vllam super bonis huiusmodi quouis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur: sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam, vt scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso, si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos, quàm seculares per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigāt adiutrices. Ipsi quoque Diœcesani non solum christianos ad subueniendum ipsis exhortentur, sed etiam tam de redditibus ecclesiarum, prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum vsus per ipsos conuertenda deuoluuntur, huiusmodi neophytos sustentare non negligant: ipsosque à detractionibus, & contumelijs paterna affectione defendant. Et quoniam per gratiam Baptismi ciues sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longeque dignius existit regenerari spiritu, quàm nasci carne, eadem constitutione statuimus, vt

Ciui-

Ciuitatum , & locorum , in quibus ſancto Baptiſmate pro tempore regenerabuntur , verè Ciues ſint , & priuilegijs , ac libertatibus , & immunitatibus,quæ alij ratione natiuitatis,& originis duntaxat conſequūtur,gaudeāt. curent inſuper ſacerdotes baptizantes,& alij de ſacro fonte eos ſuſcipientes tam ante Baptiſmum, quàm poſt illos in articulis fidei , ac legis nouæ præceptis, catholicæq; eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere; & tam ipſi, quàm Diœceſani operam dent , ne cum alijs Iudęis, ſeu infidelibus ſaltem per longum tempus conuerſentur , ne, ſicut quandoque contingit ab infirmitate curatis, modica occaſio ad priſtinam perditionem recidiuos efficiat . Et quoniam experientia teſte compertum eſt, mutuam ipſorum neophytorum inter ſe conuerſationem ipſos in fide noſtra fragiliores reddere , ac ſaluti ipſorum plurimum officere , hortamur locorum ordinarios , vt quantum pro incremento fidei viderint expedire,curent, & ſtudeāt neophytos ipſos cum originarijs chriſtianis matrimonio copulare : & prohibeant eiſdem ſub grauibus pœnis , ne mortuos more Iudęorum ſepeliant , aut ſabbata, aliaſque ſolennitates, & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſeruent,ſed & eccleſias, & prædicationes,prout alii catholici, frequentent, & in omnibus chriſtianorum moribus ſe conformes reddant.Contemptores autem prædictorum per ſacerdotes, in quorum parochijs degent,aut alios,ad quos de iure,vel antiqua conſuetudine de talibus inquirere ſpectat , aut etiam per alios quoſcunq; Diœceſanis , ſeu Inquiſitoribus hęreticæ prauitatis deferant;& inuocato, ſi opus fuerit,auxilio brachij ſecularis,per eos taliter puniantur,quòd alijs tranſeat in exemplum . Et inſuper de his omnibus in prouincialibus,& ſynodalibus concilijs diligens fiat inquiſitio; & tam circa Epiſcopos,& ſacerdotes in pręmiſſis negligētes , quàm ipſos neophytos, & infideles pręditos contemptores

ptores

ptores oportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cuiuscunque gradus, vel præeminentiæ fuerit, huiusmodi neophytos, ne ad obseruationem ritus christiani, & aliorũ præmissorum compellantur, fauerit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas ipso facto incurrat: neophyti verò si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum iudaizantes redire comperti sint, contra eos tanquam perfidos hæreticos per ordinarios locorum secundum sacrorum canonum instituta procedatur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegijs indultis, & litteris etiam Apostolicis, seu etiam Regijs, vel Imperialibus eisdem Iudæis, vel infidelibus quomodolibet concessis: quæ quatenus in detrimentum Catholicæ fidei, aut nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis quomodolibet vergent, ad effectum præsentium cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus, aliis decretis, & constitutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt condita, in suo robore duraturis. Et vt huiusmodi sanctæ constitutionis iugis memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prætendere possit, illa per singulas Cathedrales, & Collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus vberior erit fidelium concursus, semel in anno ad minus infra diuina publicari volumus, & decernimus. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumns, & etiam declaramus, quòd earundem præsentium trasumptis, seu copijs etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, vbicunque forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, Die xxi. Martij M D XLII. Pontificatus Anno Octauo. L. de Torres.

Quæ personæ prohibeantur tenere ad Baptismum. Cap. XVIII.

CVM nemo dare possit, quod non habeat, cumque dictum sit supra, Compatres, & Commatres teneri ad instituendum in fide pueros per se leuatos, mandamus, quòd excepta nacessitatis causa, aliquis vir ad leuandum infantem non recipiatur, nisi dominicam orationem, salutationem angelicam, & Symbolum apostolorum sciat, prout supra dictum est. Similiter non admittatur, qui iusto cessante impedimento non sit confessus eo anno, & sacram non sumpserit Eucharistiam.: quum non conueniat tales sacramentorum confectioni interesse, quos sancta mater Ecclesia à diuinis arcet. Item statuimus, & prohibemus, quòd nullus Prælatus, Rector; vel Clericus secularis, vel regularis cuiuscunque ecclesiæ fiat compater alicuius absque nostra speciali licentia. Similiter pater, & mater non possunt tenere cessante causa necessitatis.

Quòd baptisma cum reuerentia celebretur. Cap. XIX.

CAVEANT omnino sacerdotes, ne cum hoc baptismatis sacramentum administratur, dissolutiones, risus, aut clamores fiant: sed sacerdos, & qui assistunt, valde deuoti esse debeant, cum mysteria singularia in hoc sacramento contineantur. quos omnes sacerdotes etiam admonemus, vt quantum poterunt, puerperarum conuiuia euitent, cum in illis multa sæpe ecclesiasticos statui inconuenientia fiant, & dicantur. Caueat autem summopere sacerdos, ne peccati reus, sed immo ea cum re-
uerentia

uerentia sacramentum istud, sicut & cætera ministret, aliàs Deum nouo peccato mortaliter offenderet.

Ne peccati reus] Nomine peccati intelligitur hoc loco mortale cuius conscientia nemó reuocari debet à ministrando baptismi sacramento, cum adest contritio.

De imponendo baptizandis nomina sanctorum. Cap. XX.

SI apud gentiles potissima cura erat, vti parentes honestis filios suos nominibus appellarent, asserentes etiam, quòd si pulchra nomina venderentur, deberent emi: tantò magis nos Christiani homines delectari, atque gloriari debemus, nobis licere liberis nostris ea sanctorum nomina imponere, quorum veluti tali cognomine gaudentium suffragijs liberos nostros fultos continuè custodiri, & præseruari, pium sit credere. vnde cum nonnulli valde nobis errare videantur, dum leuitate quadam aut ipsi nouorum nominum auctores haberi volunt, aut si qua à suis maioribus acceperunt, tanquàm gentile patrimonium, ad posteros certa fide transmittunt, omnes vtriusque sexus nobis subditos rogando hortamur, ne infantulos suos baptizandos nominibus paganorum, aut gentilium, sed nominibus sanctorum, aut sanctarum iuxta ritum Christianorum nominari velint.

De numero Compatrum, & Commatrum, ex quibus causatur cognatio spiritualis. Cap. XXI.

CVM ex cognatione spirituali, quæ causatur ex Baptismo,& itidem ex Confirmatione, impediatur matrimonium contrahendum,& contractum dirimatur, ne rixæ, quęstiones,& incestus exinde oriantur, statuimus, & ordinamus, quòd in baptismate vltra duos Compatres, aut duas Commatres non admittatur sine nostra, aut Vicarij nostri licentia, de cætero etiam obseruari mandantes, vt cum masculum vnum,& fœminam vnam pro Compatre, & Commatre esse contigerit, solus masculus tanquàm sexus dignioris de sacro fonte leuet, sacerdotique interroganti respondeat, fœminæ autem præsente masculo non liceat de sacro fonte leuare.

Hæc constitutio reuocanda est ad decreta synodi Tridentinæ, quæ sess. 24. c. 2. de reformatione Matrimonij sic habet. Statuit, vt vnus tantum siue vir, siue mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant: inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizãtem,& baptizatum, baptizatiquè patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant,& eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; & in libro eorum nomina describat, doceatque eos; quàm cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. si parochi culpa, vel negligentia secum factum fuerit, arbitrio ordinarij puniantur. hactenus Synodus: cuius decretis in hære-

tes

tes præcipimus omnibus ſacerdotibus noſtræ ciuitatis, ac diœceſis, baptizaturis primum, vt ſi quis, præter vnum, & vnam deſignatos, aſſiſtere voluerit baptizando, eum admoneāt nec eſſe, nec fore compatrem: deinde vt neminem admittant ad ſuſcipiendum de ſacro fonte procuratorio nomine: niſi procuram Notarii manu ſubſcriptam attulerit. Qui ſecus fecerit, in quindecim libris Veronenſibus fabricæ Eccleſiæ cathedralis applicandis condemnamus, & per menſem ipſo facto ſuſpendimus à diuinis: à qua ſuſpenſione non poſſit abſolui, niſi pœnam pecuniariam prædictam perſoluerit.

De non miniſtrando ſacramenta extra propriam parochiam. Cap. XXII.

SAncimus etiam, & ordinamus, quòd nullus ſacerdos in aliam Parochiam ad pęnitentię & communionis ſacramentum miniſtrandum, vel ad aliquod officium ſacerdotale faciendnm ire præſumat, abſque parochialis ſacerdotis vel noſtra, aut Vicarij noſtri licentia ſpeciali; niſi eccleſia, in cuius parochia infirmus fuerit, vacauerit ſacerdote, ſeu abſens ſacerdos fuerit ab eadem, vt abſque periculo requiri nequeat licentia, vel conſenſus.

Quòd ignorantes orationem dominicam, non recipiantur ad communicandum, neque ad leuandum de ſacro fonte. Cap. XXIII.

QVum autem quilibet Chriſtianus orationem dominicam, Symbolum Apoſtolorum, & præcepta Dei, atque Eccleſiæ ſcire debeat, retinendo ſaltem ſenſum, & ſacerdotibus, ac prædicatoribus munere ſibi impoſito,

prout tenentur, fungentibus, nullus se in veritate excusare poterit, quòd à quo necessaria ad salutem addiscere possit, non habeat: ideo præmissa nescientes: vt magis confundantur, ad communicandum in Paschate cum alijs in ecclesia, & ad suscipiendum: & leuandum pueros de sacro fonte, seu in faciem ecclesiæ matrimonium contrahendum non admittantur, seu recipiantur: cum parentes pariter, & Patrini, & Matrinæ suos filiolos docere teneantur, quod minime facere possunt, qui prius non didicerint, inhibetur ergo, vt etiam superius inhibuimus, ipsis Curatis, & Capellanis, ne huiusmodi ignorantes recipiant ad leuandos pueros in baptismo; nisi esset necessitas, quòd aliter fieri non posset.

Præmissa nescientes] aduerte non esse arcendos ab his muneribus eos, qui, vt necessaria ad salutem perdiscant, faciunt, quod in se est: sicutiqui scholas doctrinæ christianæ frequentant: quia non ob incuriam, aut negligentiam, sed ob ingenii, memorię ve imbecillitatem ea non addiscunt.

Quòd vsurarijs non ministrentur sacramenta, nisi prauia satisfactione. Cap. XXIIII.

STatuimus, vt nullus sacerdos vsurarijs manifestis de vsura concedat ecclesiastica sacramenta aut sepulturã nisi primò de vsuris, & male ablatis, illis, ad quos spectant, satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem secundum formam generalis Concilij Lugdunen. apud officium nostrum præstiterint, vel pręstitisse legitimam fidem fecerint. Dicti autem concili constitutionem in omnibus parochialibus ecclesijs præcipimus singulis annis per regentem curam animarum semel, videlicet in dominica quadragesimæ,

mæ, qua canitur Iudica, solenniter publicari: quod vt commodius fieri possit, eam constitutionem hic inseri iussimus, & est talis, videlicet.

QVamquam vsurarij manifesti de vsuris, quas receperant, satisfieri expressa quantitate, vel indistinctè, in vltima voluntate mandauerint, nihilominus tamen eis ecclesiastica sepultura denegetur, donec de vsuris ipsis fuerit, & prout patiuntur facultates eorum, plenariè satisfactum: vel illis quibus facienda est restitutio, si præsto sint ipsi aut alijs, qui eis possint acquirere, vel eis absentibus loci ordinario, aut eius vices gerenti, siue Rectori parochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia (quibus quidem Ordinario, Vicario, & Rectori prædicto modo cautionem huiusmodi eorum nomine liceat præsentis constitutionis auctoritate recipere, ita quòd illis perinde actio acquiratur) aut seruo publico de ipsius ordinarij mandato, idoneè de restitutione facienda sit cautum. Cæterum si receptarum vsurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem huiusmodi arbitrio moderandam, ipse tamen scienter non minorem, quàm verisimiliter creditur, moderetur: & si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos, & alios, qui manifestos vsurarios contra præsentis sanctionis formam, ad ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam, pœnæ Lateranen. concilij contra vsurarios promulgatæ statuimus subiacere. Nullus manifestorum vsurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, siue ipsos absoluat, nisi de vsuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum, præstent, vt præmittitur, idoneam cautionem testamenta quoque manifestorum vsurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso iure.

Conc.

Conc. Tridentinum à Missæ sacrificio arcet publicè, ac notoriè criminosos sess. 22. in decr. de obseru. & euit. in celebr. Missę: his verbis. Neminem præterea, qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant.

Quòd nullus sine licentia expellat spiritus. Cap. XXV.

ET si quilibet sacerdos, quum in exorcistam sit ordinatus, receperit auctoritatem per manuum impositionem, & verba exorcismi spirituum immundorum nequitiam per verbum Christi coercendi, & eijciendi de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi, nonnulli tamen sacerdotes adeò à diabolo obcæcati reperiuntur, & in simplicitate non ambulantes, vt præsumant profiteri, se præcipuos esse immūdorum spirituū expulsores, & se solos esse, qui norunt viam (vt ipsi dicunt) dęmones abiiciendi, cæteros aspernantes, simplicibus, ac idiotis varias superstitiones persuadentes, vt sic ab eis pecuniam extorqueant, veluti aucupio quodam in grauem clericalis ordinis ignominiam; vnde nos experientia docti huic morbo consulere cupientes sancimus, quod nullus clericus, siue sacerdos secularis, seu religiosus sine nostra, aut Vicarii nostri in scriptis habita licentia adiurare, vel exorcizare spiritus, vel à spiritibus vexatos signare, aut eis quoquo modo contra spiritus, medicinas præbere. Mandantes, vt oēs illi, quibus de cætero curam talem (prout opus fuerit) demandabimus, libenter, & in charitate suscipiant, gratias Deo agentes, quòd de se ea sit opinio concepta, quòd tales esse existimentur, vt ex illis credantur esse, de quibus dominus in euangelio dicit, In nomine meo dæmonia eiicient, & super ægros manus imponent, & bene habebunt. Quos etiam hortamur, vt studeant, sicuti à corporibus aliorum

dæ-

dæmones expellunt, ita à mentibus, & corporibus suis omnem immunditiam, & nequitiam eijcere, ne illis succumbant, quos ab alijs suo ministerio effugant.

De nemine sepeliendo in ecclesiis, nisi in sepulchris iam factis: & de Depositis amouendis. Cap. XXVI.

POSTQVAM iam mos antiquus inoleuit, vt cadauera quorumcunque fidelium defunctorum, nullo habito personarum discrimine, in ecclesiis sepeliantur, nos quoque istud cum patientia tolerantes, his saltem, quæ nobis absurda videntur, tam propter sacrorum locorum reuerentiam, quàm ecclesiarum impedimenta, & deturpationes obuiare studebimus, Mandamus igitur vniuersis, & singulis Curatis, & alijs presbyteris quibuscunque, quòd in suis Ecclesiis non permittant aliquem sepeliri, nisi in sepulchris iam factis. Noua verò sepulchra, per quæ ecclesiarum pauimenta deturpantur, & præcipue tumulos deposita nuncupatos, qui impedimento, & deformitati esse solent, absque licentia nostra de cætero omnino fieri prohibemus, & si qua ad præsens deposita reperiantur, amoueant, seu per illlos. quorum interest, amouenda curent. Quorundam autem fastum detestamur, qui mira arte, & maxima cum impensa laborata sepulchra in locis eminentibus, & plerunque altaria excedentibus, superquibus vnigenitus Dei filius ęterno patri quotidie pro humani generis salute immolatur, collocare pręsumunt: & terram terræ debitam reddere contradicunt: vt sic etiam post carnis interitum mundana superbia perseueret: cum carnis locus propriè terra sit: & nihil referat, vt corpus magis in honorifico, & in altum suspenso mausoleo, quàm in vili, & hu-

mi

mi posita area putrescat. Immo, vt beatus inquit Augustinus, quos peccata grauiora deprimunt, si in huiusmodi locis se sepelire faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant.

Pius V. in Bulla sæpius citata, quæ incipit, Cum primum Apostolatus. hæc habet huic constitutioni conformia, & suffragantia. Vt in ecclesiis nihil indecens relinquatur ijdem prouideant, vt capsæ omnes & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino amoueantur, prout aliàs statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Quòd ecclesiæ debito tempore aperiantur, & claudantur et nullæ in eis vigiliæ de nocte fiant. Cap. XXVII.

QVVM in domo Dei seu oratorio præter orandi, & psallendi cultum nihil penitus agere liceat, vt nomini huic & opera iugiter impensa concordent, & ad euitandum tam furta, & sacrilegia, quàm lenocinia, quæ interdum quibusdam extrauagantibus horis per improbas personas inibi ausu temerario, ac sacri loci posthabita reuerentia committi, & perpetrari solent: ordinamus, quòd non obstante aliqua incontrarium corruptela, ecclesiarum Rectores, siue custodes ecclesiarum suarum ostia diuinis peractis officijs, debito, & congruo tempore claudant, & aperiant. Rurales, & campestres ecclesiæ similiter celebratis diuinis officijs omnino claudantur, super quorum tamen ostiis, vt hominum deuotioni satisfiat, fenestellæ cum suis Crucibus ferreis fieri poterunt; si quæ verò fuerint ecclesiæ, quę dies, noctesque apertæ maneant, id nobis imprimis intimare procurent, vt idoneè prouide-

re valeamus: & interim nullus in illis celebrare præsumat. Mandamus prætcrea omnibus, & singulis tam monasteriorum prælatis, quàm aliarum ecclesiarum Rectoribus, ne in suis ecclesiis vigilias quauis causa, etiam voti prætextu fieri permittant. Satius .n.est periculo procul esse, quàm in tam facili lapsu grauare pastores ad custodiẽdas vigilias noctis super gregem suum; eo præsertim tempore, quod multa impijs suadere, & custodes etiam diligentes cælare solet. ea igitur vota soluentes domi vigilent, & orent in noctibus extollentes manus suas in sancta.

Quòd cœmeteria similiter clausa teneantur, & in illis nihil profani exerceatur. Cap. XXVIII.

PRAETERBA cum cęmeteria immunitate gaudeant ecclesiastica, locusque ille, in quo cinis fidelium defunctorum continetur, terra sancta sit, præcipimus sub pœna interdicti ea ita vndequaque muro, aut alia clausura clausa, ac benè custodita teneri, ponendo crates ferreos, aut ligneos ad introitus, vt solis hominibus ingressus pateat: & in ea animantia bruta propter fidelium corporum ibi iacentium, & sacri loci reuerentiam ingredi non permittantur. Nulla præterea in huiusmodi locis secularia tractentur placita, seu negotia, aut alia mechanica exerceantur. Non permittantur laici choreas ibi facere dissolutas, nec cantilenas canere, aut alias perpetrare insolentias, ex quibus ecclesiarum, & cœmeteriorum violationes, inhonesta, variaque delicta quandoque sequuntur: & ecclesiasticum perturbatur officium in diuinæ Maiestatis offensam, & astantium scandalum populorum.

Ne cruces, & sanctorum imagines humi, vel in locis immundis teneantur. *Cap. XXIX.*

QVVM nobis esse debeat cura diligens per omnia, quantum possumus, superni numinis religionem tuendi, & quæ in imaginem fiunt, in eum, quem imago refert, esse facta videantur, ordinamus, ne quisquam crucem, aut alicuius sancti imaginem in locis immundis, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis, aut pauimentis, quæ hominum, aut animalium pedibus terantur, sculpere, aut pingere, sculptaque, aut pictas tenere audeat, omnes, & singulos ecclesiasticos, & seculares, ad quos spectabit, monendo, quòd infra octo dies ab harum constitutionum publicatione enumerandos, Cruces, & imagines ita positas, in ecclesiis, & cęmeteriis, aliis ue locis suis repertas deleant, aut delendas curent.

Ne officiales laici capiant clericos sine licentia domini episcopi. *Cap. XXX.*

PROHIBEMVS sub interminatione maledictionis æternæ officialibus laicis, vt nullum Clericum capere audeant, vel detinere sine expressa nostra, aut Vicarij nostri licentia, nisi in casibus, quibus de iure communi, siue per has nostras constitutiones id permittitur: & tunc si fuerit de nocte, præsentetur captus alicui honesto sacerdoti, qui si pro capto fideiubere voluerit de præsentando illum nobis de mane sequenti, tunc accepta fideiussione dimitta-

mittatur: aliàs reseruetur, donec fuerit nobis præsentatus in mane, & significetur nobis immediatè in mane sequenti sub excommunicationis pœna. Si verò de die fuerit captus, tunc illico in Episcopalem curiam, quantò honestius fieri poterit, nobis præsentandus ducatur.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBVS.

TITVLO SEXTO.

De confitendo, & communicando saltem semel in anno: & de publicando c. Omnis vtriusque sex. Cap. I.

SACERDOTES curam, & regimen animarum habentes sæpius admoneant parochianos suos, vt sæpius confiteantur in anno peccata sua, maximè in solennioribus festis, exponentes, qualiter antiquitus boni Christiani ter ad minus in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natiuitate domini sacratissimum Eucharistiæ sacramentum soliti erant maxima cum deuotione suscipere. Et licet semel in anno saltem Canon omnis vtriusque sexus nos obliget ad confitendum, & communicandum, qui tamen sæpius communicauerint, si dignè, plus merentur: qui verò semel in Paschate, quod à die palmarum vsque ad resurrectionis octauam inclusiuè extenditur, recipere neglexerint, rationabili causa proprio sacerdoti nota cessante, secundum Canones ecclesiam ingredi viuentes prohibeātur, & mor-

tui careant ecclesiastica sepultura. Quod vt magis nostrorum subditorum animis, & mentibus inhæreat, iniungimus, & præcipimus vniuersis clericis curatis, & prædicatoribus in ciuitate, & dioec. nostra verbum Dei seminantibus, vt singulis diebus dominicis per quadragesimam, constitutionem Omnis vtriusque sexus, suis subditis publicent, & publicè intiment: vt omnes remota omnis ignorantiæ excusatione ad peccatorum suorum confessionem, & eucharistiæ susceptionem se præparent. Illius autē capituli tenor est huiusmodi.

OMNIS vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iuxta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote: cum aliter ipse illum non possit absoluere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti medici super infundat vinū, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circunstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum. Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio

indi-

indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Vt curati mittant nomina non confessorum, & non communicatorum. Cap. II.

TRANSACTA autem dominica in Albis, vt quod canones præcipiunt, debitæ, & necessariæ executioni demandemus, volumus, & statuimus, quòd curati omnes singulorum nomina, & cognomina eorum, qui in anno illo non erunt confessi, & communicati, ad officium nostrum transmittere in termino 6. dierum debeant cum expressione causarum extra pœnitentiæ forum habitarum, propter quas quilibet noluerit confiteri, & communicare: quos per cancellarium nostrum scribi in libro separato volumus, vt monitionibus canonicis præcedentibus, & his in perfidia sua persistere volentibus, finitis omnibus terminis ad omnem malitiam conuincendã assignatis, contra eos ad excommunicationis mucronem perueniamus, eos excommunicatos esse, & pro excommunicatis haberi mandantes, qui sanctæ matris Ecclesiæ præcepta negligentes peccata sua semel in anno confiteri, & Eucharistiæ sacramentum sumere sine legitima causa, & per confessorem suum approbata distulerint. Porro si qui ex parochianis alibi, quàm in illa parochia, vbi id iure licuerit, confessi fuerint, & communicauerint, de eo Rectorem, seu Curatum ipsum certificare poterunt: alioquin ipsorum negli-

negligentiā causante contra eos ad infra dicenda, tanquam si confessi, & communicati non essent, cum esse non appareant, procedetur.

Pœna Curatorum non denuntiantium proximè dictos. Cap. III.

SI quis autem Curatus iusta cessante causa eos, qui sanctæ matris Ecclesiæ mandatis, & constitutioni nostræ huiusmodi non paruerint, infra terminum prædictum officio nostro non denuntiauerit, vel si post eiusdem denuntiationem in eius parochia quis reperiatur, qui non sit confessus, & communicatus, & incuria, aut malitia non denuntiatus, sacerdos ille pro negligentiæ, aut malitiæ culpa grauiter pro arbitrio nostro condemnabitur.

De prosequendis taliter excommunicatis. Cap. IIII.

POstquam autem omnes istos, qui se in anno confessos, atque communicatos esse vel non docuerint, vt prædictum est, vel verè confessi, & communicati non fuerint, diligenter examinata causa per eos allegata, & tandem per nos minimè approbata, in episcopali palatio nostro excommunicatos publicauerimus, cedulis ad valuas ecclesiæ, & ad alia loca publica affixis, curabimus omnes istos notatos ad Curatos mittendos, vt & ipsi in termino sibi assignato, in locis suis intimare debeant sic publicatos fuisse per nos omnes tales, populum suum exhortantes ad eorum commertia euitanda.

Cu-

Curati se inuicem admoneant, quando excommunicati, & infames discedunt de sua parochia, & ad aliam se conferunt; & diligenter se informent de qualitate nouorum parochianorum. Cap. V.

QVOTIES contigerit, vt quis excommunicatus, vel etiam alius quicunque notorius, & scandalosus peccator, quum desperet se quietè victurum in parochia sua antiqua, detecta sua excommunicatione, vel alio notorio graui crimine, ad aliam parochiam causa trahendæ moræ, & occultandi vitam suam sub spe quietius viuendi, quamuis pax nusquàm sit impijs, se transferat, Curatus statim notificet presbytero, ad cuius parochiam nuper parochianus ille suus accessit, illum excommunicatum esse, & excommunicationis causam, vitam, & mores illius: quibus publicè in ea parochia notus est, describendo, ne contagio vnius reliquæ oues vocem sui pastoris audientes corrumpantur: ipsosque, dum ab omnibus viderit se repelli, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinetur. Studeant etiam omnes Curati inuigilare super gregem suum: & quum aliquis incognitus accedit ad habitandum in parochia sua, informent se de vita, & moribus illius à Curato suo antiquo: & etiam nobis intimare debeant: caueantque, ne sint, de quibus inquit propheta, Canes muti, non valentes latrare; aut, Mercenarij, qui vident lupum venientem, & fugiunt.

Forma

Forma seruanda in absolutione illorum, qui publicati fuerint excommunicati. Cap. VI.

QVum autem dominus illuminauerit corda istorum, vt ad ea, quæ ad animarum suarum salutem instituta sunt, verè aspirent, velintque in gremium ecclesiæ redire, tunc cessante in illis causa, ex qua extra Christianorum consortium exclusi erant, & à nobis licentia obtenta, sacerdos Curatus eos omnes, qui publicati, ac denuntiati sunt excommunicati, in die dominico, seu festiuo iubeat ad fores ecclesiæ stare genibus flexis; ad quos ante Missarum celebrationem, & datis campanarum signis, astante populi multitudine ad diuina congregati, accedat apparatus cum stola, & virga in manu, eosque seruata forma à iure tradita in absoluendo excommunicatos, absoluat, dato iuramēto, CVM PSAL. MISERERE, CVM GLORIA PATRI, PERCVTIENDO CVM VIRGA, FINITO QVOLIBET VERSICVLO, ET KIRIE. TER. ET ORATIONE DOMINICA, ET QVATVOR VERSICVLIS, SALVVM FAC, ET NIHIL PROFICIAT. ESTO EI. DOMINE EXAVDI. ET ORATIONE, DEVS, CVI PROPRIVM, MVTANDO VERBVM DELICTORVM IN VERBVM EXCOMMVNICAT. ET POSTEA ABSOLVENDO DICAT, EGO ABSOLVO TE à vinculo excommunicationis, quam incurristi pro eo, quòd non es confessus, & communicatus hoc anno, & restituo te communioni fidelium: & postea mandet ei, quòd man-

mandaturus est. Aduertendum autem est, quòd talis percussio omittenda erit in mulieribus, cum non deceat mulieres verberari.

Quòd non absoluantur alibi, quàm in parochia sua. Cap. VII.

QVVM autem quis malè viuendo totam parochiam scandalizauerit, par est, vt in illò loco pœnitentiam publicam faciendo benè ædificet, quos iam scandalizauerat. Idcirco volumus, quòd omnes isti excommunicati, ex quo in parochia sua per proprium Curatum fuerint publicati, per eundem quoque in eodem loco publicè iuxta formam superius traditam absoluantur: vel si forsan alibi à quopiam sufficientem facultatem habente absoluti fuerint, absolutionem huiusmodi, & à quo illam obtinuerint, ipsi Curato per illius absolutorias literas notificent: & tunc ipse Curatus eosdem absolutos esse in eadem sua Ecclesia præsente populi multitudine, & ipsis absolutis similiter publicet. Qui autem inuentus fuerit contrafecisse, vel falcem in messem alienam sine sufficiente facultate immittendo, vel prædictam formam non seruando, grauiter pro arbitrio nostro mulctabitur, siue is sit Curatus, siue alius quicunque.

Quæ causæ solent iudicari legitimæ, per quas non sumens Eucharistiam sit ad tempus tolerandus. Cap. VIII.

CAETERVM, quia solent nonnulli dubitando quærere, quæ nam sint causæ illæ adeò legitimæ, propter quas quis Eucharistiam non suscipiens sit ad tempus to-

lerandus, notandum, quòd textus in d. cap. omnis, ponit tria. Quòd abstineat ad tempus. Ob rationabilem causam. De consilio sacerdotis. Qui ergo nolunt accipere tempus præfixum, qui de consilio patris sui spiritualis gubernare se nolunt, sed pro animi sui libidine, qui rationabilem abstinendi causam non habent, quæ non ab ipsis, quum in causa propria nemo debeat esse iudex, sed à sapientibus, & discretis sacerdotibus iudicanda est, hi procul dubio excõicari merentur, si post canonicas monitiones sibi factas præceptis sanctę matris Ecclesiæ parere noluerint. Nec aliquis iure excusare se poterit à perfecta peccatorum suorum confessione facienda, & à sacramenti susceptione inimicitiarum, odiorum, rancorum, concubinarum occasione. Hæ enim rationabiles causæ iudicari non debent: nec à rationabili homine sunt allegandæ: sed Canon supradictus potest intelligi, quum de relapsu in peccatum timeatur: tunc enim etiam si pęnitens communicare vellet, Sacerdos supersedere debet, periculum faciens, an perseueret in seruando, quod promiserat: exemplum de blasphemia, de commertio cum aliqua muliere, & cætera huiusmodi. Alius habet casus, quos sibi S. D. Papa, vel ordinarius reseruat, à quibus non poterit, exempli gratia, hinc ad festum Paschatis absolui: is causam legitimam habet. Interdum sacerdoti videbitur imponere pœnitentiam, quæ non nisi peractis Paschalibus festis compleri poterit: ecce is etiam est excusatus. Sacerdos pro sacramenti reuerentia prohibebit alicui, qui in hebdomada sancta deliquerit, communicari, nisi ad festum Pentecostes: alium à communione per duos annos abstinere mandabit. Plures in iure reperiuntur casus, quibus quis per aliquot annos, vel etiam nisi in extremo vitæ suæ, vt de vxoricida habetur, communicare se non poterit. Omnes isti legitimam causam abstinendi à communione habebũt:

confessionem tamen facere quotannis debent, summopereque dolere, quòd tales excessus perpetrauerint: quòd ad tempus sacramentali communione fuerint priuati: non possintque manducare panem illum Angelorum, in quo est omne oblectamentum. Eum quoque, qui alicuius suæ causæ expeditionem, cum iam iudex sit in calculo ferendæ sententiæ, prius habere optaret, vt postea pacatiori animo, sereniorique conscientia altaris sacramentum sumeret: legitimam, atque honestam ad tempus abstinendi à communione causam habiturum esse iudicabimus. Infirmitates etiam possunt esse in causa, quòd quis à sacramenti communione iure abstinere possit. Has causas pro exemplis collegisse voluimus, ex quibus prudens, & ingeniosus sacerdos diiudicare poterit, an rationabiles fuerint illæ, quas parochianus suus adduxerit.

Quòd prædicetur populo grauitas excommunicationis. Cap. VIIII.

VALDE dolendum est in hæc mala tempora nos incidisse, vt à compluribus excommunicatio pastoris non timeatur, sed potius paruipendatur. Cum plerique sint, qui excõmunicationis sentẽtiam negligant, cum eam revereri, & reuerenter timere deberẽt: quia in Ecclesia DEI nulla maior pœna reperitur: & cum ipsorum infelicium malitiæ, vel ignorantiæ consulendum sit, vt intelligant, quàm grauiter errauerint, & errent vehementer, qui sentiunt, & asserunt, excommunicationem non esse timendã, presbyteri parochiales curam animarum exercentes in suis ecclesijs parochianos debent frequenter admonere, vt timeant excommunicationem pastoris: & cum omni timore, & reuerentia diligenter obseruent, & quantum in

eis est, faciant obseruari: & vt caueant ab excommunicatis, ac eos euitent tam in ecclesijs, quàm extra. Ne cum eis participando grauiter peccent, & incurrant excommunicationem. Et vt ipsi presbyteri parochiales habeant modum admonendi suos parochianos, aduertant ad hæc, quæ subnectimus tanquàm verissima, ac sanctorum, & canonum auctoritate comprobata: in quibus propter maximam negotij grauitatem aliquantulum euagari non pigebit.

Ac eos vitent] Communis opinio theologorum, decretis concilij Constantiensis inhærens est, duo genera excommunicatorum esse vitanda: primum notorios clericorum percussores; deinde eos, qui nominatim sunt excommunicati: immo cum ijs licet etiam in quibusdam casibus communicare, qui vulgato versiculo continentur, Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Quòd excommunicatio sit timenda. Cap. X.

EXCOMMVNICATIONEM esse timendam probatur auctoritate beati Gregorij dicentis, sententiam Pastoris, siue iusta, siue iniusta sit, timendam esse. Nemo enim (vt inquit B. Chrysostomus) contemnere debet ecclesiastica vincula, idest excommunicationem: immo dicit B. Augustinus, Nihil sic debet formidare Christianus, quàm excommunicari: quia per excommunicationem à corpore D. N. Iesu Christi, idest ab vnitate Ecclesiæ separatur. Non autem homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. vnde Christum videtur contemnere, qui pastoris excommunicationem cōtemnit, iuxta illud euangelicum,

Qui

Qui vos spernit, me spernit: & qui excommunicatur, traditur Sathanæ, vt inquit idem sanctus, Omnis Christianus, qui à sacerdotibus excommunicatur, traditur Sathanæ: extra Ecclesiam etenim diabolus est, sicut in Ecclesia Christus:& propterea diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione remouetur, & sic quamprimum quis excommunicatus est,quasi membrum abscissum à corpore, quod nihil valet,efficitur. Sicut ergo timenda est abscissio membri à corpore eius,sic nihil magis timendum est Christiano, quàm separari à corpore Christi,quod est Ecclesia. abscinditur autem ab Ecclesia excommunicatus per excommunicationem,quæ est ictus gladij spiritualis:qui magis timendus est,quàm materialis:immo,vt dicit B. Augustinus, grauius est hoc illi, quàm si feriretur gladio, vel quàm si à feris deuoraretur,aut quàm si flammis vreretur: quæ verba sunt aurea,& multum notanda. Possunt plures aliæ rationes adduci,quare excommunicatio sit timenda: quia per ipsam efficitur homo infirmus valde, qui nullum remedium,vel medicinam potest habere: ipse enim est separatus ab Ecclesiæ sacramentis,quæ instar vini vulnerum saniem mortificant: etiam instar olei dolorem vulnerum mitigant:& instar vnguentorum vulnera sanant:de quibus medicinis habetur in Euangelio de homine sauciato. in ecclesiastico etiam vnguentarius,idest D.N.Iesus Christus faciet pigmenta suauitatis,& vnctiones conficiet sanitatis. Præterea excommunicatus est, velut homo captus ab hostibus suis omni auxilio destitutus: quia est priuatus communione fidelium,nec habet partem in bonis, quæ in Ecclesia fiunt. Ipse est similis illi, qui cecidit in foueam: vel est sub onere, & non habet, qui eum subleuet, Salomone dicente, Veh soli,quia cum ceciderit,nõ habet subleuantem se. E,cõtrario verò dicitur,Frater, qui adiuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. Ab excommunicatis autem Dei

 gra-

alijs in ecclesia orare tempore celebrationis diuinorum, aliàs mortaliter peccat:nec ei licet extra ecclesiam sic prope stare, quòd audiat diuina. Quintò excommunicatus non potest stare in iudicio, tanquàm actor, sed conuentus potest respondere:& sic repellitur ab agendo. Repellitur etiam à procurando, & patrocinando, & testificando, & omnibus actis legitimis. Vltimò notandum est, quòd Diabolus in excommunicato habet potestatem, quasi in pecore suo:& vtitur eo, sicut rusticus iumento.

Quàm graue periculum sit cum excommunicatis versari. *Cap. XII.*

QVàm autem graue peccatum, & periculum sit cum excommunicatis participare, vel ex hoc vno patet, quòd cum excommunicato neque orare, neque loqui, nec vesci licet, aliàs statim participantes incidunt in excommunicationem, & peccant: peccant enim in excommunicatorem, cuius auctoritatem contemnunt, & per consequens peccant in Deum: peccant in excommunicatum, cuius sanitatem impediunt, dum verecundiam, & confusionem, quæ est aliquando causa salutis, ab excommunicato auferunt: peccant in seipsos, quia morbum contagiosum euitare contemnunt: peccant in illum, cuius occasione excommunicati sunt, quia per hoc satisfactionem sibi faciendam impediunt. Preterea excommunicatus est, sicut infirmus habens morbum contagiosum, & infectiuum, qui à consortio hominum eijcitur:& excommunicatio est lepra spiritualis figurata per lepram Mariæ: & excommunicatum tanquàm leprosum euitare debemus.

Multa præcedentibus capitibus dicuntur quæ non nisi de excommunicatione maiore intelliguntur, quæque non nisi in notorie, & nominatim excommunicatos conueniunt: cuius rei maior distinctio quærenda est apud doctores.

Quàm periculosum sit in excommunicatione perseuerare. Cap. XIII.

VLtra suprascripta intimandum est sæpissime infra annum per sacerdotes Curatos, quàm graue, & periculosum sit in excommunicatione perseuerare: nam perseuerans in excommunicatione per annum, suspectus est de hæresi: & contra eum, tanquam suspectum de hæresi procedi potest: nam præsumitur malè sentire de sacramentis Ecclesiæ, cum non faciat, nec facere possit illud, ad quod quilibet fidelis obligatur. Item præsumitur malè sentire de potestate Ecclesiæ, ex quo non curat de eius excommunicatione: & sola pertinatia annalis perseuerantiæ in excommunicatione inducit suspicionem hęresis: & cum talis sit suspectus de hæresi, poterit ipsi indici purgatio: in qua si defecerit, poterit vt hæreticus condemnari. Quæ autem pœnæ sunt hæreticis impositę, superfluum est enarrare, cum hoc clarum, & manifestum sit, & maximè de pęna confiscationis bonorum, priuationis beneficiorum, & dignitatum: & de pœna ignis, & de alijs, &c.

Et contra eum, &c.] Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reform. Excommunicatus verò quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta, & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obdurato animo, censuris adnexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit. legatur etiam idem Cóc. sess. 24. c. 8. de reform. Matrimonij, vbi vult seuere procedi ab ordinariis contra concubinarios, qui per annum in concubinatu permanserint neglectis censuris.

Protestatio, quòd de facili in futurum non concedetur excommunicatio. Cap. XIIII.

CVM autem ex prædictis appareat excommunicationem esse grauissimam censuram, absurdum quippe videtur, vt de facili ad rem, quam, pro præcipuo mucrone Ecclesia habet, pro minima quaque offensa, & crimine recurratur: quo fit, vt gladius ille ita obtundatur, vt in causis vrgentioribus, vbi vsus eius exposcitur, acumen scindendi perdidisse videatur: ita vt eius percussio magis inducat contemptum, quàm corrigendarum animarum salutem. Idcirco præsenti constitutione cauemus, ne in posterũ pro qualibet leui causa excõmunicationis sentẽtia fulminetur. Causæ autem leuitatem, vel grauitatem non pro rei valore, sed consideratis circunstantijs, & attenta qualitate petentis iudicari volumus. Ita tamen, vt de hoc in literis monitorijs mentio fiat. Alioqui, si pro re minoris summæ decem ducatorum obtenta, seu potius extorta fuerit, eam tanquàm subreptitiam, seu obreptitiam sacerdotes publicare non debeant: sed apud se eam retineant, donec super illius qualitate se per literas, aut coram à nobis informauerint.

Syn. Tridentina idem incommodum animaduertit in concedenda excommunicatione leuibus de causis: quare sess. 25. c. 3. de reformatione huic rei modum præscribit accuratè, atque hoc concilij caput, quod breuitatis causa hic non inserimus, legendum est ab omnibus sacerdotibus: & diligenter seruandum: cum sit in hac materia, & lux intelligendi, & norma agendi.

De modo obtinendi monitoria. Cap. XV.

VOlumus, vt sæpe diebus Dominicis, & festiuis, pro vt opportunitas dabitur, sacerdotes in ecclesijs sibi commissis suum admoneant populum, quòd pro rebus minimis non sit expetenda excommunicatio: nec etiam ea concedetur, nisi, vt supradictum est. Quum autem petendæ sunt per aliquem literæ monitoriæ, semper conueniatur sacerdos curatus, à quo habeatur fides in scriptis de petentis, & facti qualitatibus, & circunstantijs, & de valore rei, cuius occasione excommunicatio sit fulminanda: & cum dicta sacerdotis fide veniatur ad petendum monitorium: & Cancellarius noster retineat litteras dictorum sacerdotum: qui sint cauti, vt prius diligenter, & ad plenum ab hominibus loci fide dignis informati scribant ad nos quicquid inuenerint: aliter enim: si postea constiterit eos alicuius personæ intuitu aliquid fraudulenter scripsisse, grauiter pro modo culpæ arbitrio nostro punientur.

De publicandis per Curatos excommunicatis omnibus diebus Dominicis, quousque absolutionis beneficium obtinuerint. Cap. XVI.

VT autem excommunicationis euitetur periculum, & excommunicati rubore perfusi ad reconciliationis gratiam redire citius compellantur, omnibus Curatis & Ecclesiarum Rectoribus præcipimus, quòd quilibet in

sua

ſua parochia omnibus diebus Dominicis ipſos excommunicatos infra Miſſarum ſolennia, publicè denuntient. Nec ab huiuſmodi publicatione, ſeu denũtiatione ceſſent, quouſque abſolutionis beneficium fuerint conſecuti. Excommunicati autem, cum diuina celebrantur, ab eccleſijs diuinorum tempore expellantur. intereſſe tamen prædicationibus poſſunt: ſed nullo modo in ſacramentis ſunt à quoque admittendi: & ideo nullus presbyter pręſente illo, quem excommunicatum publicatum ſciuerit, diuina celebrare præſumat. & ſi quis excommunicatus ad eiuſdem monitionem exire de Eccleſia noluerit, & in clauium contemptum pertinaciter permanere voluerit; vel ſi excommunicatus talis ſit, quòd propter potentiam, vel aliàs ſacerdos monere eum non audeat, idem ſacerdos nobis, aut Vicario noſtro denuntiet: & nihilominus ipſo præſente non celebret: nec aliquod diuinum officium quoquomodo miniſtret.

Quòd Sacerdotes audituri confeßiones non ignorent Canones pœnitentiales: & quòd deputandi prius præſententur: & de opuſculo Beati Antonini. Cap. XVII.

LIcet hodie in occultis peccatis pœnitentiæ arbitrarię eſſe dicantur, ſacerdos tamen Canones pœnitentiales ſcire debet: non quòd pœnitentias in illis contentas oporteat eum in foro conſcientię imponere, ſed vt illis doceri poſſit, quæ pœnitentiæ qualitas cui peccato magis conueniat: ad earum enim qualitatem debet ſuas imponere. Quum igitur ſacerdos, qui eſt iudex, & arbiter, debeat illis Canonibus ſi non in toto, ſaltem in tanto, & ſi non in

quantitate, saltem in qualitate pœnæ adhærere, quantum potest, icirco hortamur omnes sacerdotes, vt oneris grauitatem, cui se submittunt, sibi ante oculos proponentes, vt idonei reperiantur, Canones pœnitentiales quasi quasdam regulas ediscant: de quibus habetur mentio apud Doctores: vt sciant illos postea sapienter, & discretè moderari secundum peccati circunstantias, & contritionis qualitatem: qua contritione pensata confidant, quòd diuinus amor, qui in pœnitente incipit, & paulatim crescit, excitabit eum postea, vt sponte, & propria voluntate ad plura opera misericordię se exhibeat, quàm sacerdos imposuerit. Prohibemus verò, ne quis tam Clericus secularis, quàm Religiosus cuiuscunque ordinis, & conditionis existat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicatione latæ sententiæ, audeat se in audiendis confessionibus immiscere, nisi prius nobis, aut Vicario nostro se præsentauerit, & fuerit approbatus. Et cum turpe sit aliquem ignorare ius, in quo versatur, ob hanc causam opusculum Beati Antonini Curatis per quam necessarium vulgare imprimi fecimus: vt quilibet illud præ manibus habere possit. Qui verò dicto etiam opusculo studere neglexerit (quod facile constare poterit) si examinatus circa ea, quæ in illo continentur, respondere nescierit, ad audiendum confessiones non admittetur.

Se præsentauerit, & fuerit appobatus] Perspicua mens est, atque voluntas Concilij Tridentini, vt sacerdotes tam seculares, quàm regulares confessiones nullius audiant, nisi ab Ordinario loci fuerint approbati, sess. 23. c. 15. de reform. Quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem posse confessionem secularium, etiam sacerdotum audire: nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem,

tionem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus, Pius V. anno 1571. edidit constitutionem, quæ incipit, Romani Pontificis prouidentia: qua declarat loco citato Concilij comprehendi regulares mendicantes, & quorumcunque ordinum, & quoscunque alios, quouis priuilegio munitos: ac proinde vult omnes subiici episcoporum examini, ut statuit concilium.

Iustificatio super faciendo examine confessorum: & de eligendo bonos, & peritos confessores. Cap. XVIII.

Qvum videamus plerosque sine pœnitentia, & sine communione mensium, & annorum spatia in graue animarum suarum præiudicium degere: quosdam ad confitendum extremum sacri ieiunij expectare, tuncque eodem contextu & errata confiteri, & communionem accipere nulla præmissa aut operis, aut lachrimarum satisfactione: quosdam verò à non suis sacerdotibus absolui procurare. cui rei istos tam enormes excessus ascribere debeamus, non facile excogitare possumus, nisi quòd tales hodie pœnitentiæ iudices aliquando eliguntur viri indocti, cupidi, sine charitate, sine zelo, prius confitentium crumenas, quàm conscientias examinantes. Vnde ne istud tam necessarium sacramentum diuini profectò iuris inuentum ab aliquibus contemni possit, celeri remedio, quantum nobis à Deo datum est, succurrere studemus. Quamobrem rogamus omnes religiosos Prælatos, vt æquo animo ferant, si iuxta formam constitutionum sacrorum conciliorum Viennen. & vltimi lateranen. nobis, seu Vicario nostro Religiosis præsentatis diligentes esse velimus in cognoscenda eorum, qui confessionibus audiendis deputantur, sufficientia: quando res tanti ponderis, & momenti

non sit per quoslibet passim tractanda. Seculares verò, qui non amplius numerosam illam multitudinem confessorum viderint, mirari desistant, cum certiores facti sint, quare istud nos faciamus. qua quidem causa & ipsi expergefacti ex doctis doctiores, & ex bonis meliores eos sibi eligant patres spirituales, quibus tutò animarum suarum salutem, qua nihil hominibus preciosius esse debet, credãt, atque committant beati Augustini consilium sequentes, dum admonet, quòd qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere: ne cum negligens circa se sit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quoniam stultus errare voluit. & subdit, Qui ergo confiteri vult, omnino confiteatur sacerdoti meliori, quem inuenire potest.

De non imponendo pœnitentiam pecuniariã. Cap. XIX.

ET si in sacris litteris eleemosynis redimi peccata mãdatur, Sicut enim aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum; caueant tamen Plebani, Rectores ecclesiarum, Religiosi quicunque ad audiendas confessiones deputati, ne in confessionibus pro peccatis pœnitentias pecuniarias infligant, applicandas vel sibi, vel suo Monasterio, vel ecclesiæ, aut cuiquàm per ipsum nominando; sed pro peccatis imponant pœnitentiam ieiuniorum, orationum, peregrinationum, seu eleemosynarum per pęnitentes, inter quos maluerint, dispensandarum, non quærentes, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Eũ verò, quem à confitente aliquid petiisse constiterit, perpetuò ab huiusmodi officio suspendi, & alia grauiori pœna, prout nobis

vide-

videbitur, condemnari volumus. Quod autem oblatum sibi fuerit, recipere debent, idest non debent respuere, ex contemptu superbiæ, quantumcunque magni Prælati essent, cum tota Ecclesia Dei eleemosynis sustentetur, & dominus noster Iesus Christus eleemosynis viueret.

Non prohibet constitutio, quominus confessarius possit pœnitentibus pecuniarias pœnitentias iniungere applicandas Hospitalibus, aliisque locis piis: iisdemque consulere, vt alicui pauperi, cuius necessitas magna nota est confessario, impertiantur eleemosynam indictam pro pœnitentia: dummodo vitet omnem, etiam quamminimam auaritiæ suspicionem.

Quòd prudenter imponatur pœnitentia Missarum dicendarum.

Cap. XX.

SI autem visum fuerit sacerdoti pro pœnitentia pœnitenti iniungere celebrationem Missarum, cum interdum timendum sit, quòd potius auaritia, quàm charitas sit in causa, volumus, quòd id similiter confitentis libito remittatur: & omnino quòd per alium non suspectum tales Missæ celebrentur: & per talem, qui sibi ipsi confessori vicem non reddat. Non ergo per parochialem presbyterum conuicinum, qui simili morbo auaritiæ laborare posset.

De

De apponendo in qualibet ecclesia schedulam cum nominibus deputatorum ad confitendum. Cap. XXI.

PRiores, Præpositos, Guardianus, Custodes, Vicarios, & alios quorumuis mendicantium Fratrum, & aliorum quorumcunque religiosorum Præfectos monasteriorum, & ecclesiarum ciuitatis, & dioec. Veronen. hortamur in Domino, vt in ecclesiarum suarum, & cōuentuum loco ad legēdum aptiore, chartam præsentatorum suorum religiosorum per nos approbatorum nomina continentem, ab officio nostro acceptam, atque sigillo nostro, vel Vicarij nostri munitam statuant, & affigant: quatenus qui voluerint ipsis religiosis confiteri, videant prius, si sint de nominatorum, & approbatorum numero: aliàs absolutos se non fore intelligant. Qui autem non approbatus se in audiendis confessionibus ingerere ausus fuerit, grauiter punietur.

De loco, tempore, & modo, quibus vti debent sacerdotes in confitendo: & de confessorio. Cap. XXII.

AD euitanda scandala, quæ in confessionibus sacramentalibus solent hinc inde quandoque contingere, sancimus, vt confessiones, & præsertim mulierum in ecclesijs posthac audiantur in loco aperto, & euidenti, ita vt audiens pariter, & confitens palam videantur. Item ante ortum solis non audiantur, nec post occasum. Interrogationes ne fiant super non interrogandis, cautè sem-

per

per procedendo, ne quo modo pœnitens de modo peccandi instruatur, sed potius ab ore ipsius, qui commisit, extrahatur. & si forte per confessionem viri, vel mulieris horribile peccatum confessor audierit, non spuat, nec faciem torqueat, aut faciat signum aliquod, propter quod peccatorem deterreat, vel rubore, seu verecundia confundat, vt reliqua peccata sibi timeat reuelare. Quoties autem fœminã in confessione audire contigerit, volumus, quòd inter sacerdotem confitentem, & mulierem sit tabula vna cum sua fenestella: super qua sit vna gradata, seu lamina perforata: quam tabulam confessorium denominauimus, prout in omnibus ecclesijs tales tabulas, seu confessoria in vsu haberi mandauimus.

De casibus pœnitentialibus domino Episcopo reseruatis. Cap. XXIII.

QVia nonnulli tam seculares, quàm religiosi terminis suis non contenti in perditionem animarum in casibus sedi apostolicæ, aut nobis reseruatis in ciuitate, & diœ. nostra subditos nostros absoluere præsumunt, licet de hoc nullam acceperint potestatem, præsenti decreto inhibemus, ne deinceps nudo verbo ipsorum sacerdotum asserentium se talem habere potestatem, nisi aliàs de potestate huiusmodi fecerint fidem legitimis documentis, credatur, declarantes absolutiones eorum in casibus prædictis factas nullas esse, nisi hoc specifice à sede apostolica; aut à nobis, seu Vicario nostro eis sit concessum. Insuper omnibus supradictis inhibemus, ne in casibus episcopalibus nobis reseruatis, quos duximus inferius annectendos esse, se intromittere audeant: sed ad nos, seu Vicarium nostrum

omnes infrascripti remittantur, decernen. absolutionem per eos absque speciali nostra concessione, seu Vicarij nostri in casibus huiusmodi, præterquàm in mortis articulo factam viribus carere: & contrarium facientes, siue religiosi, siue seculares fuerint; ab audientia confessionum sint eo ipso priuati, ad nostrum præterea arbitrium pœnitentiam acturi.

CASVS RESERVATI.

De excommunicatis quacunque excommunicatione maiori, à iure, vel ab homine: & cum denunciatis scienter participantibus in crimine.

De sortilegijs, & artem magicam exercentibus.

De abutentibus hostia sacra, oleo sancto, & Chrismate, & & alijs rebus sacris.

De commutatione quorumlibet votorum, nisi sint peregrinationes intra diœc.

De male ablatis certis, vel incertis, si non extant illi, quibus est restituen. à decem libr. supra.

De contrahentibus matrimonium contra mandata, vel inhibitionem superioris, & tempore interdicto, vel stante primo matrimonio, vel clandestinè, nisi postea facta publicatione.

De publicis criminibus enormibus: & de illis, quibus solemnis pœnitentia est iniungenda, nisi publicè pœniteant.

De oppressionibus filiorum ex proposito, vel casu, vel aliàs quomodocunque ex crassa negligentia: vel detinentibus infantes secum in lecto, quando dormiunt, si commodè possunt aliter tenere.

De homicidio quocunque modo perpetrato.

De

De falso testimonio in iudicio: vel false iurantibus in iudicio: & quolibet alio periurio præiudiciali.

De facientibus fieri, mandantibus, aut attestantibus falsum instrumentum: vel bullas, seu litteras aliquas publicas falsificantibus.

De incestu vsque ad quartum gradum inclusiuè consanguinitatis, aut affinitatis, vel spiritualitatis.

De corruptione Monialium tam professarum, quàm non.

De intrantibus monasteria ipsarum Monialium: & de illis, qui accesserunt, & accedent etiam ad ipsas visitandum, vel alloquendum, etiam ad parlatoria sine licentia: & de ipsis Monialibus claustra egredientibus sine licentia superioris in scriptis.

De commiscentibus se carnaliter cum infidelibus, cum brutis: & coeuntibus contra naturam, seu cum his, qui sunt in aliquibus ordinibus constituti, tam actiuè, quàm passiuè.

De euntibus ad sinagogas nuptias, seu festa Iudæorum.

De verberantibus clericos, & illos ad forum seculare trahentibus, seu in eo molestantibus.

De raptoribus mulierum.

De violantibus per vim virgines.

De Simonia etiam ignoranter, & in simplici beneficio contracta.

De verberantibus patrem, aut matrem.

De incendiarijs quibuscunque volentibus, seu voluntarijs, seu auxilium, vel consilium præstantibus.

De manducantibus carnes tempore Quadragesimæ absque legitima causa, & consilio vtriusque medici.

De fractoribus, & violatoribus ecclesiarum immunitatis, ac libertatis ecclesiasticæ.

De occupantibus res sacras: aut bona, & iura Episcopatus, & aliarum ecclesiarum, vel piorum locorum: eorumque

rumque, si sciunt, occupatores non reuelantibus.

De occupantibus ecclesias vacantes, eisque dantibus auxilium, consilium, vel fauorem medio laicorum.

De laicis gubernantibus hospitalia, scholas, & loca pia, nisi prius reddant rationes administrationis, & bonorum ad manus suas peruentorum.

De eligentibus Rectores, & presbyteros in ecclesiis vacantibus sub falso prætextu iuris patronatus: & de sacerdotibus, vel clericis talibus electionibus cōsentientibus, seque intrudentibus in dicta beneficia.

De clericis non incedentibus in habitu, & tonsura.

De polluentibus voluntariè ecclesiam sanguinis, vel seminis effusione.

De presbyteris reuelantibus confessiones sacramentales, vel aliquid accipientibus pro confessione ex conuentione.

De his, qui pro legatis ad pias causas infra tempus à iure, vel ab homine statutum non satisfecerunt, vel ordinario non denuntiauerunt.

De mulieribus partus alienos supponentibus, eisque auxilium, consilium, vel fauorem præstantibus.

De vxoribus, quæ ex alieno viro conceperunt, si partus viuunt, & pro filijs à marito reputantur.

De mittentibus proprios filios ad locum Pietatis, si eis facultates suppetant, nisi de alimentis eis prouideant.

De concubinarijs, & tenentibus fœminas de incontinentia suspectas, qui pluries moniti desistere noluerunt.

De veneficis, vel dantibus pharmaca, aut potiones, vt quis moriatur, seu ne mulier concipere possit, vel vt faciat abortum.

De hæreticis, schismaticis, & vsurarijs manifestis: & notarijs rogatis de aliquo contractu vsurario.

De viris deserentibus vxores sine causa legitima, & econuer-

uerso.

De ordinatis ad ordines aliquos ecclesiasticos sine licentia sui ordinarij, seu etiam per saltum: & de celebrantibus in ecclesia polluta, interdicta, seu cum calice, vel altari non sacratis scienter: aut ante diem, vel post nonam: vel in domibus priuatis sine licentia superioris.

De sepelientibus hæreticum, excommunicatum, interdictum, vsurarium manifestum, & quoslibet similes in loco sacro.

Absolutiones eorum in casibus prædictis, &c.] Conc. Trident. sess. 14 can. 11. de Pœnitentia statuit de fide esse casuum reseruationem, cum ait, Siquis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atq; ideo casuum reseruationem non prohibere, quò minus sacerdos à reseruatis verè absoluat, anathema sit. & sess. eadem, c. 8. de doctrina pœnitentiæ dixerat, nullius momenti absolutionem eam esse, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Et alia multa docet dignissima scitu; quæ breuitatis causa prętermittuntur. neq; verò Regulares habent potestatem absoluendi à reseruatis per priuilegium, quod dicitur Mare magnum, nam summus Pontifex anno 1572. declarauit per illud hanc facultatem illis minime concedi, vt testantur litteræ Cardinalium concilio interpretando præfectorum ad Cardinalem Borromæum piæ memoriæ scriptæ in hæc verba. Cum à sacra congregatione Cardinalium, qui propositi sunt decretis Tridentini Concilij interpretandis Illustrissima amplitudo tua quæsierit, an regulares ex priuilegijs à sede apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, possint in his casibus, quos sibi Episcopus reseruauit, absoluere confitentes: hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum D.N. retulisset, illius Sanctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliaue priuilegia regularibus concessa factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustris. Amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumnitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris. MDLXXII. Caueant ergo confessarij, qui nec à sede Apostolica, nec à nobis, nec à Vi-

à Vicario nostro hanc facultatem habent, ne animas in laqueum inducant, absoluere eas tentantes à reseruatis.

Quoniam autem nobis visum est necessarium casus reseruatos à Reuerendiss. Episcopo Io. Matthæo minuere,& nonnihil commutare,temporibus seruientes: ideò subiici mandauimus eorum tabellam,quos nobis,ac Vicario nostro reseruandos duximus.

EXcommunicati excommunicatione maiori à iure,vel ab homine,interdicti,& suspensi.

Vsurarij manifesti, & publici.

Contrahentes matrimonium contra mandatum superioris,& contra formam Concilij Tridentini:aut post sponsalia deuenientes ad carnalem copulam ante matrimonij debitam celebrationem. Et contrahentes stante primo matrimonio.

Incendiarij voluntarij: & incidentes vites, aut alias arbores alienas damni, aut iniuriæ causa. Latrones item, qui vijs publicis insidiantur,& spoliant.

Suffocantes infantes aut voluntariè, aut negligentia crassa:& tenentes secum eosdem in lecto intra annum,cum dormiunt,si commodè possunt aliter tenere.

Homicidium voluntariè perpetrantes, vel præcipientes,si sequatur effectus.

Periuri in iudicio, aut falsum in eo fabricantes. periuri itē extra iudicium præiudicantes alteri,cum de iure eis defertur iuramentum.

Intrantes monasteria monialium sine licentia in scriptis. Item accedentes ad earum parlatoria, si cum illis colloquantur sine nostra, vel Vicarij nostri licentia.

Incestuosi consanguinitatis, vel affinitatis vsque ad secundum gradum inclusiuè. item cognoscentes personam sibi coniunctam cognatione spirituali.

Coeuntes cum brutis;vel cum infidelibus, & contra naturam

ram vel actiuè, vel passiuè.

Raptores virginum, ac violatores monialium tam professarum, quàm non professarum.

Parentes, seu mariti, qui filias, aut vxores respectiuè prostituunt.

Polluentes voluntariè ecclesiam sanguinis, vel seminis effusione: & in ea sacrilegium, vel rapinam committentes.

Comedentes carnem, vel alios cibos vetitos sine euidenti necessitate: & in dubio absque consilio vtriusque medici.

Verberantes patrem, vel matrem.

Legata pia non soluentes, & Notarii illa non denuntiantes.

Meminerint confessarij uotorum commutationem Episcopo reseruari, præterquàm peregrinationis intra diœcesim, ieiunij, & abstinentiæ: ad eundemque pertinere ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. commutationem pœnitentiæ publicæ in secretam.

Animaduertant item, ne in casus Papales manus ponant: quales sunt intrantes in monasteria monialium sub prętextu licentiæ sine cogente necessitate.

Procurãtes cõsulẽtes, adiuuãtes abortũ quouis modo, vt in constitutione Sixti V. edita anno 1588. & similes.

Meminerint etiam eorum, qui spectant ad officium S. Inquisitionis: vt sunt Hæretici; eorum libros habẽtes; legẽtes: sortilegi: incantatores: abutentes rebus sacris, &c.

Denique cum nobis reseruauerimus omnes excommunicationes maiores, debent confessarij earum esse memores: præsertim earum, quę sunt in constitutionibus episcopalibus: eius item, quæ ligat violatores legum, & ordinum Montis Sanctæ Pietatis: & eius, quæ lata est in mittentes liberos ad Hospitale Pietatis, & expensas non resarcientes, si possunt: & denique aliarum.

De

De casibus reseruatis in Bulla cœnæ domini. Cap. XXIIII.

QVVM non ita passim per singulorum manus Bulla, quæ in die cœnæ domini Romæ quotannis publicari consueuit, transire soleat, & locorum ordinarij vbique constituti in virtute sanctæ obedientiæ per sed. Apostolicam arctentur, quòd dictam Bullam solenniter saltem semel in anno, aut pluries, prout expedire visum fuerit, publicari, & ad Christi fidelium mentes deduci, nuntiari, & declarari faciãt, nos pro maiore sacerdotum Curatorum ciuitatis, & diœc. nostræ commodo, dictam Bullam, quæ ferè semper eosdem casus complecti solet, post dictos casus Episcopales imprimendam curauimus: in qua si quid aliquo anno immutatum, diminutum, vel additum fuerit, id quoque omni diligentia ad singulorum notitiam deducere studebimus. Quòd & tantò libentius fecimus, quò sacerdotes ipsi commodius, & facilius iuxta sedis Apostolicæ decretum in suis ecclesijs, quoties expedire cognouerint, dum maior populi aderit multitudo, dictam bullam, & in ea contenta publicare, & vulgari sermone declarare valeant, & debeant: & dictos casus sibi familiares frequenti lectione redden. excommunicationis pœnam euadant latam contra confessores illos, qui in præmissis casibus quenquam absoluere attentauerint: à qua non, nisi per Romanum Pontificem possint liberari, præterqam in mortis articulo constituti, vt latius Sixtus quartus in extrauagan. & si dominici, &c.

Loco bullæ Pauli III. editę anno 1542. substituendam curauimus Bullam Sixti V. editam anno 1586. vtpote recentiorem: & in qua quędam sunt ab ea diuersa, & ad huius normam redigenda sunt, quæ in hoc cap. dicuntur.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERuorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

Procemium Bullæ.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo cum in omni Christianæ Reip. pace, & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda; & conseruanda maximè elucet, nimirum; vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes: neque circumferantur omni vento doctrinę in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris: sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum: neque se in huius vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionē præbeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti tamquam vnius corporis membra sub Christo capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice, Beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice: sic pręsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pontifices prædecessores nostri hodierna die, quæ anniuersariæ Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam Deo auctore tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequen.

Hæretici cuiuscunque sectæ, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici.

1 Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Vuiclephitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios: ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque sectæ existant: ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores: ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes sine auctoritate nostra, & sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore; necnon Schismaticos: & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahūt, vel recedunt.

Appellantes à Pont. ad futurum Concilium, eorumque fautores.

2 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

3 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes

Pira-

Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario vſque ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & denſenſores.

Qui naufragorum Chriſtianorum cuiuſcunque generis, bona etiam in littoribus inuenta ſurripuerint.

4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque nauibus tempeſtate, ſeu in tranſuerſum (vt dici ſolet) iactatis, vel quo quomodo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta in mari, vel in littore inuenta; cuiuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuſque maris regionibus, & littoribus ſurripuerint: ita vt nec ob quodcumque priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum excuſari poſſint.

Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

5 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis noua pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi à iure, ſeu ex ſpeciali ſedis Apoſtolicę licentia permiſſis, imponunt, vel augent, aut imponi, ſeu augeri prohibita exigunt.

Falſificantes literas Apoſt. aut ſuppl. à quocunque auct. habente ſignatas, falsò fabricantes literas Apoſt.

6 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, etiam in forma breuis, ac ſupplicationum gratiam, vel iuſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarium;

seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma breuis, & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis; seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reip. Christianæ statum pertinentia ijsdem in damnum Christianorum nuntiantes.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel Hæreticos per nostras, siuè huius sanctæ sedis sententias expressè, & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalibem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quàm alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque priuilegijs quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis per nos, & sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.

8 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanę Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos,

qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cuiuscunq; fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Qui ad sedem Apost. venientes, vel ab ea recedentes sua, aut aliorum opera læserint; & qui sine iurisdictione in Curia commorantes vexarint.

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent: necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

Qui Romipetas, ac peregrinos, etiam in Vrbe morantes, vel abeuntes læserint.

10 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morãtes, vel ab ipsa recedentes: & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Qui nocuerint S.R.E. Cardinalibus, & alijs Prælatis:

11 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, uulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales: ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis

à suis dioecesibus, territorijs, terris, seu dominijs eijcientes. Necnon eà mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

Ii, qui ad Romanam Curiam in negotijs suis recurrentes per se, vel per alios lædunt.

12 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes illos,qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque,vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis,& negotijs recurrentes,ac illa in eadem curia prosequentes,aut procurantes,negotiorumque gestores, aduocatos,procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotijs deputatos occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant; seu qui per se, vel per alios directè,vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Qui appellant à grauamine,vel futura executione litt. Apostol. ad laicam potestatem.

13 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quàm seculares cuiuscumque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ,etiam in forma breuis tam gratiam, quàm iustitiam concernentium,necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum,monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à nobis,& à sede prædicta, seu Legatis,Nuncijs,Præsidentibus Cameræ Apostolicæ, Auditoribus,Commissarijs, alijsque Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint,

aut

aut aliàs ad Curſas ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt,& ab ea inſtante etiam Fiſci procuratore,vel aduocato appellationes huiuſmodi admitti,ac litteras,citationes, inhibitiones,ſequeſtra,monitoria, & alia prędicta capi, & retineri faciunt; quiue illa ſimpliciter,vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones, & notarij ſuper huiuſmodi literarum, & proceſſuum executione inſtrumenta,vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant,impediunt,vel prohibent; ac etiam partes,ſeu eorum agentes, notarios,executores, & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt,vulnerant,carcerant,detinent, ex ciuitatibus, locis,& regnis eijciunt,bonis ſpoliant,perterre faciunt,concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios publicè,vel occultè; quiue aliàs quibuſcumque perſonis in genere,vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotijs proſequendis, ſeu gratijs, vel literis impetrandis ad Ro. Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent,ſeu impetratis vtantur, directè,vel indirectè prohibere,ſtatuere,ſeu mandare, vel eas apud ſe,aut notarios,ſeu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

Quicumque executionem literarum Apoſt. aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetran. acceden. prohibent.

14 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum,vel aliarum gratiarũ, & literarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales & decimarum,ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus,& Commiſſarijs noſtris, alijſque iudicibus Eccleſiaſticis auocant,illarumue curſum, & audien-

tiam,

tiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione, tam quam iudices interponunt. Quique partes actrices, quae illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum prędictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos infirmandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi corã nobis, & sede Apost. legitime prosequantur, etiã si talia committentes fuerint præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij, ordinarij, vel extraordinarij, quorumcunque Principum secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

Iudices seculares, qui ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quiq; ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

15 Quiue ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunq; personas ecclesiasticas, capitula, conuentus, & collegia ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum, præter Iuris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæsito colore: necnon, qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia de-

creta

creta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint, vnde libertas eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ ſedis, ac quarumcunque eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur.

Impedientes prælatos, ne ſua iuriſdictione vtantur, quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes ad cancellarias recurrunt, aut contra illos decernunt, præſtantque auxilium.

16 Necnon, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Iudices eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus ſua iuriſdictione eccleſiaſt. contra quoſcunque vtantur, ſecundum quòd canones, & ſacræ conſtitutiones eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini ſtatuunt, ac etiam eos, qui poſt ipſorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque ſententias, & decreta, aut aliàs fori eccl. Iudicium eludentes ad cancellarias; & alias Curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia ordinarijs, aut delegatis prędictis decerni, & contra illos exequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & fauorem in eiſdem.

Vſurpantes Sedis Apoſt. & quarumcunque Eccleſiarum iuriſdictiones, vel fructus etiam ſequeſtrantes.

17 Quiue iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & prouentus ad nos, & ſedem Apoſtolicam, & quaſcunque eccleſia-

ſticas perſonas ratione eccleſiarum,monaſteriorum,& alio rum beneficiorum eccleſiaſticorum pertinentes vſurpant: vel etiam quauis occaſione,vel cauſa ſine Romani Pontificis,vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequenſtrant.

Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſt. Eccleſiis, monaſteriis, aut eorum fructibus.

18 Quique collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera clericis,prælatis,& alijs perſonis eccleſiaſticis, ac eorum,& eccleſiarum,monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis,illorumque fructibus,redditibus,& prouentibus huiuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali,& expreſſa licentia imponunt,& diuerſis etiã exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam à ſponte dantibus,& concedentibus recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare,aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis,cõditionis,aut ſtatus,etiam ſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites,Barones, & alij potentatus:quicunque etiam regnis,prouincijs,ciuitatibus, & terris quoquo modo præſidentes,& conſiliarij,& ſenatores,aut quauis etiam pontificali dignitate inſigniti: Innouantes decreta ſuper his per ſacros canones tam in Lateranenſi nouiſſimè celebrato, quàm alijs concilijs generalibus edita etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

Iudices ſeculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Eccleſiaſt. perſonas.

19 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes, & quoſcunque Magiſtratus,& Iudices, Notarios,Scribas,

cxe-

executores, ſubexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius ſanctæ ſedis Apoſtolicæ licentia, etiam ſi talia committentes fuerint Cõſiliarij, Senatores, Præſidētes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

Occupantes bona, aut terras Eccleſiæ Rom. & in illis ſupremam iuriſdictionem vſurpantes.

20 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocunque titulo, vel colore inuadere, deſtruere, occupare, detinere præſumpſerint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras ſpecialis commiſſionis Arnulphorum, Ciuitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, & aliàs ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictęque Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubiecta. Quiue ſupremam iuriſdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt: necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

Absolutio sol Pont. reseruatur.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quęcumque his literis contenta quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Absoluere præsumentes excommunicantur.

Cęterum à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prę textu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunq; personis ecclesiasticis secularibus, & quorumuis ordinum, etiam mendicantium, ac militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, & eorum monasterijs, conuentibus, & domibus, ac capitulis, collegijs, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos, & dictam sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum, nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur.

Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Declarantes, ac protestantes quamcunque absolutio-

nem

nem etiam solemniter per nos faciendam prædictos excõmunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à premissis cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra ecclesiæ libertatẽ, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex archiuijs, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari: quin etiã per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque iuribus sedis Apostolicæ, ac sanctæ Rom. Eccles. vndecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenus præiudicari posse, aut debere.

Non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, & literis apostolicis, generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum regnis, prouincijs, ciuitatibus, seu locis à predicta sede, ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs cõcessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem,

nec-

necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis,& alijs quibuslibet obseruantijs,scriptis,vel non scriptis,per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis se iuuare valeant,vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso insererentur,præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus: & omnino reuocamus,cæterisque contrarijs quibuscunque.

Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omniũ notitiam facilius deducãtur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes valuis Ecclesię Sancti Ioannis Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus. Vt ij,quos processns huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint,aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper,vt processus ipsi,& præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta, eò fiant notioria, quò in plerisque ciuitatibus, & locis fuerint publicata, Vniuersis, & singulis Patriarchis,Primatibus,Archiepiscopis,Episcopis,& locorum ordinariis,& prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas,postquam eas receperint,seu earum habuerint notitiam,semel in anno,aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Qui-

Quicunque audiunt confessiones, apud se has literas habeant.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alijque locorum ordinarii, & Ecclesiarum prælati, necnon rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri seculares, & quorumuis ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputati transumptum literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis Notarii publici manu subscriptis, & sigillo iudicis ordinarii Romanæ Curię, vel alterius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quę ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio nonas Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

Hippolytus Card. Aldobrand.

Io. Baptista Canobius.

A. de Alexijs.

De indulgentia plenaria Cathedralis Ecclesiæ publicanda. Cap. XXV.

QVia bonum tantò pulchrius,& laudabilius, quantò communius:ideo ne diœcesani nostri Thesauro per sedem apostolicam nostræ Cathedrali ecclesiæ perpetuis duraturis temporibus donato defraudentur, volumus, quòd omnes presbyteri tam Curati,quàm non Curati ciuitatis,& diœc.nostræ,Indulgentiæ nostræ Cathedralis ecclesiæ Bullam, quam ad hunc finem hic subnectimus, vel eius tenorem per duas vices in die festiuo populo infra Missarum solemnia intimare debeant per x. dies ante Annunciationem virginis, & similiter ante festum Natiuitatis eiusdem : in alijs autem solennitatibus virginis per vnam tantum vicem primo die festiuo ante dictam solennitatem.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei, Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem,& apostolicam benedictionem. Saluatoris nostri domini Iesu Christi Dei Patris vnigeniti,qui de summis cœlorum ad infima pro redemptione generis humani descendere dignatus est,quique beato Petro Apostolorum principi ligandi,atque soluendi Pontificium tradidit, vices licet immeriti gerentes in terris, & ad singulas præsertim insignes Cathedrales ecclesias,quæ domus Dei sunt,in earum structuris,& ædificijs, & reparatione indigentum nostræ considerationis dirigentes intuitum, circa illarum reparationem commissi nobis Pastoralis officii, & potestatis nobis creditæ autoritatem fauorabiliter impartimur,& ad hoc Christi fideles indulgentijs videlicet, & remissionibus inuitamus: ut per eorum pia suffragia ecclesiæ ipsæ reparari, & Christi fideles prçfati pro temporalibus bonis, quę eroga-

erogarent, felicitatis æternæ præmia consequi possint.
Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia Veron. cui Venerabilis F. I. Matthæus Episcopus Veron. Prælatus noster domesticus preesse dignoscitur, in suis structuris, & edificijs non modica reparatione, ac paramentis, & ornamentis ecclesiasticis diuino cultui necessarijs indigere noscatur, & ad illius reparationem, & fulcimentum facultates fabricæ ipsius ecclesiæ minus suppetunt, sed sint Christi fidelium suffragia ad id plurimum opportuna, Nos cupientes, vt ecclesia ipsa prædicta, quæ sub inuocatione gloriosæ Dei genitricis, virginis Mariæ dicata existit, in huiusmodi structuris, & edificijs debitè reparetur, & reparata manuteneatur, ac paramentis, & ornamentis prędictis decenter fulciatur, & à Christi fidelibus congruis frequentetur honoribus, ac in debita veneratione habeatur, ipsique Christi fideles eò libentius deuotionis causa ad eandem ecclesiam se conferāt, & inibi pro præmissis eò promptius manus adiutrices porrigant, quò exinde pro animarum suarum salute maiora spiritualia munera adipisci posse cognouerint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ecclesiam prædictam in Natiuitatis, & Annunciationis eiusdem gloriosæ virginis Mariæ festiuitatibus à primis vesperis, vsque ad occasum solis vtriusque ipsarum festiuitatum inclusiuè deuotè visitauerint annuatim, & ad reparationem, manutentionem, & fulcimentum prædicta manus adiutrices porrexerint, pro qualibet festiuitatum earumdem, quibus fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem: Qui verò in Conceptionis, Præsentationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis eiusdem gloriosæ Virginis Mariæ festiuitatibus, similiter à primis vesperis vsque ad occasum

 sum

fa u folis cuiuflibet earum inclufiuè, ecclefiam ipfam deuotè vifitauerint annuatim, ac ꝓ pręmiffis man⁹ adiutrices porrexerint, pro fingulis vltimè dictarum fefti uitatum, quibus id fecerint, omnes, & fingulas, quę Chrifti fidelibus ecclefias Almę Vrbis, & extra muros eius Quadragefimalibus, & alijs ftationum illarum temporibus, & diebus perfonaliter vifitantibus conceffę funt, Indulgentias, & peccatorum remiffiones auctoritate apoftolica tenore pręfentiũ mifericorditer in Domino elargimur. Et vt Chrifti fidelium ad eandem ecclefiam pro huiufmodi plenaria indulgentia confequenda confluentium facilius valeat animarum faluti prouideri, pręfato Ioanni Matthęo, & pro tempore exiftenti Epifcopo Veronen. feu eius in fpiritualibus Vicario generali, aliquos presbyteros idoneos feculares, vel quorumuis & mendicantium ordinum regulares, qui in Natiuitatis, & Annunciationis feftiuitatibus prędictis, ac etiam per biduum ante illarum fingulas Chrifti fideliũ pro eadem plenaria indulgentia confequenda accedentium confeffiones audire, & illis diligenter auditis, ipfos, & eorum fingulos ab omnibus, & fingulis eorum peccatis, criminibus, & delictis in fingulis cafibus etiam fedi Apoftolicę referuatis; exceptis contentis in litteris in die cœnę Domini legi confuetis, abfoluere, & eis pro commiffis pœnitentiam falutarem iniungere, necnon vota quęcunque per eos emiffa, vltra marino, vifitationis liminum ipforum beatorum Apoftolorum Petri, & Pauli, ac fancti Iacobi in Compoftella, necnon caftitatis, & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poffint, deputandi facultatem concedimus, pręfentibus, quas fub qui bufuis reuocationibus, fufpenfionibus, & derogationibus plenariarum indulgentiarum, etiam in fauorem Cruciatę, & fabricę Bafilicæ principis Apoftolorum de Vrbe, feu quarumcunque ecclefiarum, & piorum locorum, etiam

durante anno Iubilei pro tempore occurrente, & aliàs quomodolibet per nos, & sedem prędictam, etiam motu proprio,& ex quibusuis causis perpetuò,vel ad tempus factis, & faciendis pro tempore nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere,& quoties illæ emanabunt,toties in pristinum statum restitutas, & etiam de nouo concessas esse,ac Christi fidelibus prefatis suffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus valituris.

Data Romę apud sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicę. M D XXVII. Sexto Kal. Aprilis, & Pontifi. nostri Anno Quarto.

Gratis de mandato S. D. N. Euangelista
M. de Braceis, Pro ℞^{io}. Io. Vorger.

Pius V. anno 2. sui Pontificatus edita constitutione, quæ incipit, Et si dominici gregis, reuocauit optimo consilio omnes indulgentias,pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiutrices: ac proinde supradicta Indulgentia à Clemente 7. cōcessa reuocata est. Nos autem vbi hoc intelleximus,ne ecclesia cathedralis,ac populus Veronensis consueto thesauro priuaretur, aliam indulgentiam ad aliquot annos impetrauimus:ac deinceps curabimus diligenter (quod etiam successores nostros idem facturos speramus) ne vllus annus sine hac Indulgentia prætereat.

Caueant omnes, ne quid erroris in Iubileis committatur. Cap. XXVI.

NE in grauem Dei offensam,& non modicum animarum periculum, quę pro Dei placanda ira, eiusque imploranda misericordia, & peccatorum exoneratione constituuntur, resultent, quodque venire solet,quum re-

media non solum prçter, sed plerunque contra proponentis intentionem, nullo modo, atque regula seruata adhibentur. exemplum non deest cuiquàm in his superioribus annis Iubileis datis, in quibus licet quàm maximas vtilitates vniuersus Christianus populus consecutus sit, & ideo sperandum multoties quoque in futurum ea concedenda, tamen experientia docti tali iubileorum tempore plures errores commissos reperimus: hinc enim instar furentis in manu sua ancipitem gladium habentis, occasionem sumentes imperiti homines, quid non attentarunt? super prohibitis gradibus dispensando, proles legitimando, matrimonia separando, à votis simpliciter liberando, pœnitentiam nullam iniungendo, quoslibet etiam in peccato perseuerantes absoluendo, restitutioni obnoxios ad nullam restitutionem cogendo. Iccirco ne posthac errores prçteritis similes ex incuria proueniant, his paucis omnes tam seculares, quàm sacerdotes, & regulares ciuitatis, & diœcesis nostrę per infrascriptas conclusiones admonendos duximus. Nihil vnquàm, quòd ad hanc rem pertinet in ciuitate, & diœcesi nostra nobis inconsultis publicandum. Bullam semper omni cum diligentia inspiciendam, summaque cum maturitate iuxta tritam, & vulgatam illam regulam, huiusmodi, quantum sonant, tantum valere, ponderandam.

Sanctissimam sanctissimi D. N. voluntatem piè, ac sanctissimè interpretandam, tanquàm semper ad ędificandam ecclesiam prospicientis, vimque verborum illorum, quibus eligendi confessorem facultas prçstatur, maiorem fortasse esse, quàm nonnulli opinantur: non enim passim quibuscunque, vt quidam iactant, sed peritis tantum, & scientibus ligare, & soluere, quę omnia idoneorum nominatio indicat, tam immensam facultatem largitam esse.

Qui amat periculum peribit in illo. Resecandas ideo

in primis peccandi occasiones: si enim, qui adhuc fœminam, qua abuti solitus est, domi secum retinet, de facto absolueretur, is profectò apud Deum non debet se tutum existimare.

Satisfactionem eo modo, quo melius, & cautius fieri possit, perquàm necessariam fore: quis enim sani consilij fure, aut homicidiam nulla prçuia satisfactiòne absoluat?

In peccatis perseuerantes, aut de quibus recidiui periculum verisimiliter timetur, nisi suspicioni violentę cautè consultum fuerit, absoluendos non esse. Nolite sanctum dare canibus: aut cum parte lęsa pace, seu reconciliatione non secuta rectè absolutum quis asseueraret? Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Votorum non fieri omnimodam absolutionem, sed tantum in alia pietatis opera temporis, & personarum qualitate benè pensata commutationem.

Aliud dispensationem, aliud à peccato absolutionem esse: vt sciat sacerdos, si alia iubilea similia proximis publicata fuerint, licet à peccatis quamuis enormibus absoluere possit, non ideo tamen dispensandi potestatem sibi datam nouerit, vt in causis matrimonialibus se ingerere, inter coniuges in gradu prohibitio inter se coniunctos, aut in duplici matrimonio cum quo sibi magis libuerit, dispensare, prolem legitimam decernere, matrimoniorum diuortia celebrare valeat.

Hæc pauca ex tot aliis penè infinitis ex abundantia cordis libauimus: vt his inspectis, quum opus fuerit, ea, qua decet, prudentia, maturitate, & religione per quemlibet res tanti ponderis tractetur. Et quoniam ferè semper cum onere certos hymnos, psalmos, litanias, ac suffragia suis debitis diebus psallendi prçfata iubilea publicata sunt, vt is ritus etiam in anno sępius in ecclesijs, & in processionibus frequentetur, formam hic imprimendam curauimus.

Noſtris temporibus Iubileorum Bullæ multò clariores, & accuratiores ad nos perueniunt;ac proinde documenta hæc minus fortaſſe neceſſaria ſunt:optima tamen ſunt, & cum doctrina Concilij Tridentini, atque illorum Theologorum, qui poſtea de his rebus ſanè ſcripſerunt, coniungenda.

ORDO SERVANDVS IN PROCESSIONIBVS FACIENDIS.

IN primis intonetur Hymnus. Veni Creator Spiritus, & Hymnus. Chriſte ſanctorum decus angelorum, prout in dedicatione ſancti Michaelis, per Prælatum, vel Priorem Eccleſiæ omnibus genuflexis. Inde per alios vſque ad finem compleatur. Quibus finitis dicatur antiph. Exaudiat nos dominus in die tribulationis. Deinde Pſal. 19.

EXaudiat te dominus in die tribulationis.vel antiphona. Congregati ſunt inimici noſtri,vt dimicent contra nos:& ignoramus,quid agere debeamus. Domine Deus ad te ſunt oculi noſtri, ne pereamus. Pſal. 45. Deus noſter refugium: & Pſal. 78. Deus venerunt gentes: vel añ. Da pacem domine,&c. cum Pſalmo. 33. Benedicam dominum in omni tempore. & finito quolibet pſalmo ſemper repetatur antiphona cuilibet pſalmo appoſita. His finitis ante altare maius omnibus genuflexis incipiantur Litaniæ cum precibus,& orationibus præſenti neceſſitati aptioribus. His finitis incohetur Miſſa de Spiritu ſancto cum orationibus, videlicet Prima de Spiritu ſancto, Secunda. Eccleſiæ tuæ,&c. Tertia. Omnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu. &c.

Quòd

Quòd nullus inferior poſsit ſe intromittere in publicis enormibus ſcandoloſis peccatis. Cap. XXVII.

VBI periculum maius imminet, ibi proculdubio plenius eſt conſulendum. Attendentes itaque, quòd manifeſta peccata non ſunt occulta correctione punienda,& quòd malum, vnde oritur, ibi puniri debet, omnibus curam animarum exercentibus, ſeu confeſſiones audientibus, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, vel beneficio diſtrictius inhibemus, ne quempiam ſuper enormi publico peccato abſoluere audeant, volentes huiuſmodi enormes publicos ſcandaloſos peccatores, poſtquàm caſum publicum intellexerint, ad nos, vel Vicarium noſtrum abſoluendos,& puniendos remittant, decernẽn. abſolutionem per Curatos,& antedictos confeſſores ſuper publicis enormibus ſcandoloſis criminibus de cætero faciendam nullius fore roboris, & momenti.

Seruetur conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. de reform.

Ne quæſtuantes recipiantur cum copijs ſuarum facultatum, niſi approbatis à Domino Epiſcopo. C. XXVIII.

NOnnulli à Sede Apoſtolica indulgentias impetrant, vel à Sede Apoſtolica impetratas emunt, vt quaſi eo commercij genere pecunias exquirant ſub prætextu re-

redemptionis captiuorum, vel quòd ex infidelibus sacrô Baptiſmatis fonte renati ſint, vel quòd impiorum infidelium manus euaſerint, vel alio quocunque colore. alij gratiæ ſuæ tenorem materno ſermone imprimi facien. plus in impreſſo habent, quàm ſit in originali, vt populos decipiant. Alij etiam quandoque tum abſoluendi, tum diſpenſandi miniſterium nullatenus eis conceſſum vſurpant. Ne iſta vlterius fiant, mandamus omnibus eccleſiarum Rectoribus, & locumtenentibus eorundem, vt huiuſmodi copias nullatenus acceptent, ſeu publicent, niſi à Cancellario noſtro ſubſcriptæ, & ſigillo noſtro, aut Vicarij noſtri ſignatæ fuerint, etiam ſi aliàs à nobis generaliter quærendi licentiam habuiſſent.

Quòd nullus permittat ſe à quaſtuantibus abſolui, & ne ipſi quaſtuent ſine licentia Domini Epiſcopi. Cap. XXIX.

SIne licentia non admittantur etiam religioſi, & religioſæ cuiuſcunque ordinis: vel illi, qui ſub titulo ſancti Spiritus, ſancti Bellini, ſancti Antonij, ſancti Rocchi, ſancti Bernardi nominari ſe faciunt, mentientes ſe quandoque clericos, cum nō ſint. admoneant inſuper eccleſiarum Rectores parochianos ſuos, quòd non faciant ſe à talibus abſolui, quia pro abſolutis non habebuntur, quum abſolui minimè potuerint à talibus circulatoribus, qui ſub modis iſtis rudes homines decipientes ſtudent ab eis pecuniam recipere ipſis perſuadendo, quòd ſunt ſacerdotes: quod ut facilius perſuadeant, in habitu ſacerdotali incedunt, & breuiarium in manibus geſtant, & quòd poſſunt vota commutare,

mutare, dispensationes facere, absoluere à casibus reseruatis. Qui omnes quæstores plus, quàm sibi liceat, sibi vendicantes si capi poterunt, tanquam falsarij Apostolicarum litterarum per officium nostrum mulctabuntur. Nemo igitur sine licentia nostra, vel dicti nostri Vicarij in diœcesi nostra quæstuare præsumat, sub pęna amissionis eiusdem, quod quæstuassent, & animalium omnium, & rerum, cum quibus quæstuarent.

Quomodo hi quæstuores sint à sacerdotibus commendandi, & quòd attendantur dies datæ licentiæ.

C. XXX.

QVum autem contigerit nos, aut Vicarium nostrum aliquibus quæstoribus propter pia opera per diœc. nostram eleemosynas colligendi dedisse facultatem, hocque per litteras sigillo nostro munitas, & non aliter constiterit, ipsimet ecclesiarum Rectores, & non alij, ea solum, quæ in litteris sigillo nostro signatis viderint contineri, suis subditis exponant: nec aliquem quęstorem permittant prędicare, sed solũ eis liceat eleemosynas petere amore Dei, & sancti illius, cuius gratia sibi data fuerit per ciuitatem, & diœc. quæstuandi licentia. In omnibus autem litterarum nostrarum datam sacerdotes attendant, ne vltra datę tempus aliquid recolligant.

Vt ipsorum quæstorum excessus denuntientur officio Domini Episcopi. Cap. XXXI.

SI autem contra voluntatem Curatorum ipsi quæstores prędicare, aut miracula perterrendo homines enarrare, aut reliquias ostendere, vel quæstum quocunque modo facere voluerint, nobis, seu officiarijs nostris ipsi Rectores denuntiare festinent, aut inuocato brachio seculari capiantur, seclusa tamen sanguinis effusione, & enormi læsione, & vt ad nos adducantur, curent.

Quod ad quatuor præcedentia capita de quæstuarijs spectat, legatur conc. Trid. sess. 5.c.2.de reform.vbi hæc habet verba. Quæstores verò eleemosinarij, qui etiam quæstuarij vulgo dicuntur, cuiuscunq; conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant; & contrafacientes ab episcopis, & ordinarijs locorum, priuilegijs quibuscunque non obstantibus opportunis remedijs omnino arceantur. legatur etiam sess. 21.c.9.de reformatione, vbi mandat in quibuscunque christianæ religionis locis quæstorum nomen, atque vsum penitus aboleri: Indulgentias verò piorum illorum locorum, pro quibus quæritabant eleemosynas, per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, populo debitis temporibus publicari, & per eosdem eleemosynas colligi. Denique Pius V. in constit. quæ incipit, Et si dominici gregis, non solum reuocat indulgentias, pro quibus consequendis sunt porrigendæ manus adiutrices, verum etiam adimit omnibus potestatem quæstorum eiusmodi constituendi, quos maximè detestatur.

DE SPONSALIBVS, ET MATRIMONIIS,

TITVLO SEPTIMO.

De forma ſeruanda in contractibus ſponſalium, & matrimonij: & quàm deteſtanda ſint clandeſtina matrimonia. Cap. I.

NE quod ſæpiſſime accidere graui cum moleſtia vidimus, vt vnde amicitia, & affinitas quæritur, odia, & contentiones oriantur, hac præſenti conſtitutione paterna charitate omnibus, & ſingulis ſubditis noſtris conſulimus, eoſque etiam monemus, ne deinceps quiſquàm præſumat ſponſalia per verba de futuro, vel de præſenti, ac etiam ſub annulli ſubarratione matrimonium contrahere, niſi in eccleſijs, vel locis publicis, aut domibus parentum, & cum præſentia ſacerdotis proprij, & patris, & matris contrahentium, ſi habuerint, aut ſi non habuerint, cum pręſentia proximiorum propinquorum vtriuſque partis, ſi adeſſe voluerint, & aliorum teſtium fide dignorum: qui de vtriuſque partis conſenſu clarè teſtificari vbique poſſint, & valeant. Admoneant inſuper ſacerdotes in eccleſijs puellas, quàm grauiter peccent clandeſtinè contrahendo, & quot homicidia, quot rixas, & quot ſcandala clandeſtina matrimonia ſecũ afferant: & quòd non credant viris ſibi clandeſtinè pollicentibus, cum illi ſubtracto virginitatis ſpolio negare ſoleant, ſe quicquàm promiſiſſe in graue damnum, & detri-

mentum dictarum infelicium, & miserarum puellarum, quæ fuerunt credulæ: vnde postea mendicare coguntur, & omnibus contemptibiles haberi: & quòd nolint tanti emere vnum pœnitere.

Cum editæ sunt à Ioanne Matthæo Episcopo hæ constitutiones, nondum erat Concilium Tridētinū incohatum, in quo salutaria decreta de matrimonio sunt condita. idcirco nil mirum est, si ferè omnes hæ constitutiones de matrimonio ad concilii decreta reuocandę sunt. atque in primis sess. 24. c. 1. de reform. Matrimonii docet, clandestina matrimonia licet rata essent, tamen ea fuisse ecclesiam Dei iustissimis de caussis semper detestatam. deinde, vt ea omnino tollat ab ecclesia, statuit modum contrahendi matrimonium, quem qui nō seruant, matrimonium non contrahunt, verba concilii sunt hæc. Præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie ecclesiæ procedatur; vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, &c. vel aliis vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouintiæ ritum. Quòd si aliquando probabilis suspicio fuerit, matrimoniū malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel vna tantum denuntiatiō fiat, vel saltem parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. & post aliquot. Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. subdit postea pœnas parochi aliter celebrantis. quæ omnia diligentes Curati in ipso concilio sæpe videant, atque intelligere studeant.

[1] Admoneant insuper) loco huius admonitionis doceant puellas clandestina matrimonia iam non esse matrimonia: explicentque concilii decretum de reformatione Matrimonii, vt idem præcipit in fine capitis primi prædicti.

Quòd sponsi non frequentent domos sponsarum ante subarrationem.
Cap. II.

ET quoniam nonnulli sponsi animarum suarum salutis immemores facti, postquàm per multum temporis post sponsalia de futuro contracta simul fuerint conuersati, solutionem quærunt multis occasionibus, nonnunquàm etiam secuta copula carnali, inhibemus, nec secretè, aut aliter, quàm prædictum est, contrahentes debeant adinuicem conuersari, aut commisceri, sed neque domos alterius partis, quasi sponsi, vel sponsæ frequentare omnino: neque sponsi, neque sponsæ appellari, donec talia sponsalia publicè, sicut præfertur, fuerint confirmata: quàm confirmationem, quò citius commodè poterit, fieri volumus.

Fuerint confirmata) intellige hoc tempore per verba de præsenti, coram parocho proprio, & testibus: quia non alia ratione fit matrimonium.

Frequentare omnino) optimum præceptum, ac necessario seruandum: cui addimus consilium synodi Trid. loco citato, quę hortatur coniuges, vt ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.

De denuntiandis clandestinis matrimonijs.
Cap. III.

QVòd si qui in prædictis secus facere præsumpserint, præcipimus in virtute sanctę obedientiæ vniuersis ecclesiarum Rectoribus, quòd postquàm ipsis constiterit

pro

pro certo, vel probabili fama, aliquos in parochia sua clandestine contraxisse, ipsos statim ad publicandum in faciem ecclesiæ, aut iura sua prosequen. coram ecclesiastico iudice per subtractionem sacramentorum, extra tamen necessitatis articulum cogere non postponant.

Admoneant nos parochi, vt possimus contra huiusmodi inobedientes ecclesiæ seuerè procedere.

Quòd sponsalia sine licentia non dissoluantur. *Cap. IIII.*

ITem ordinamus, quòd sponsalibus per verba de futuro præsertim cum iuramento contractis nullus audeat suam sponsam inuitam relinquere, & cum altera contrahere, nisi in primis dictorum sponsalium dissolutio petita fuerit à nobis, aut Vicario nostro: quam, si rationabilem inuenerimus subesse causam, non denegabimus.

Quòd nullus se ingerat in causis matrimonialibus. *Cap. V.*

ITem inhibemus, & sub pœna excommunicationis interdicimus omnibus Christi fidelibus Clericis, & laicis per diœc. nostram vbilibet constitutis, vt nullus ipsorum contra sacrorum canonum dispositionem de causis matrimonialibus cognoscere, concordare, seu diffini e qualitercunque presumat, absque nostra, aut Vicarii nostri licentia, & mandato speciali.

Conc. Trid. sess. 24. can. 12. si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices ecclesiasticos, anathema sit.

De banno super matrimonijs contrahendis in ecclesijs faciendo. Cap. VI.

QVia sæpè accidit in diœc. nostra Veronen. quòd ex rudium personarum ignorantia nonnulli adinuicem coniunguntur, inter quos aliquo perpetuò existente impedimento nullum matrimonium consistere potest, sed adulterium, vel incestus, statuimus, & ordinamus, quòd postquàm in dicta diœc. sunt contracta sponsalia, seu promissiones factæ, seu etiam contractum per verba de præsenti matrimonium, si ab ipso incœptum fuerit, antequàm nuptiæ fiant, & matrimonium consumetur, in vna dominica talia sponsalia publicentur in ipsorum sponsorum Parochialibus ecclesijs intra Missarum solennia, vel inter Vesperas, quando maior populi multitudo aderit, per Plebanos, aut eorum Vicarios; qui admoneant omnes, & singulos scientes aliquam consanguinitatem, vel affinitatem, aut aliquod impedimentum publicæ honestatis, aut cognationis spiritualis, seu legalis esse inter eos, propalent, & manifestent intra terminum octo dierum: quæ quidem denuntiatio sub hac verborum forma fieri poterit, qualiter. N. filius talis, &. N. filia talis sponsalia per verba de futuro inuicem inter se contraxerunt, & intendunt transire ad matrimonium per verba de præsenti. Vnde rogant omnes, & singulos scientes aliquod impedimẽtum inter eos existere, propter quod inter ipsos matrimonium subesse non possit, illud velint propalare, vt incestus, & alia peccata vitentur, assignando terminum octo dierum.

Publicationes ex decreto concilii fieri debent ante verba de pręsenti, & ter fieri debent. Quare modus ab eo præscriptus seruandus est in posterum diligenter.

Quid

Quid debeant facere sacerdotes detecto impedimento. Cap. VII.

FActa autem tali denuntiatione, & etiam ante, si infra terminum denuntiationis, & banni prædicti aliquod impedimentum appareret, tunc sacerdos eos admoneat, vt infra octo dierum terminum, vel de communi consensu cum dicti sacerdotis litteris nos de facto certiores facientibus compareant coram nobis, seu Vicario nostro ad illorum dissolutionem: & si etiam ad contractum matrimonii per verba de præsenti processum fuerit, conueniens remedium, & prouisionem desuper opportunam petendum. Quo termino elapso, & ipsis non parentibus, teneatur ipse sacerdos dicta sponsalia, vel matrimonium, prout contingit esse, in continenti officio nostro denuntiare, vt contra tales, prout iuris fuerit, procedi possit.

Quòd Notarij non rogitent instrumenta matrimonij nisi præcedente publicatione. Cap. VIII.

OMnibus, & singulis Notarijs ciuitatis, & dioec. nostræ ad euitandos errores præcipimus, & mandamus, non debeant, aut præsumant rogare sponsalia de præsenti, aut subarrationem annuli, aut instrumentum dotale, nisi prius facta, vt præfertur, prædicta publicatione in Ecclesia per parochum.

Cum sit mutata ratio matrimonii contrahendi, & hęc constitutio nunc minus necessaria est.

De

De faciendo quolibet anno vnum bannum generale. Cap. IX.

AD euitandos errores, qui plerunque verisimili ignorantia contrahentium sponsalia exoriuntur, & ad maiorem cautelam, mandamus, vt in omnibus ecclesijs nobis subditis per illarum Rectores publicæ, & generales fiãt admonitiones singulis annis, vt scientes impedimenta aliqua super matrimonijs sine præscriptis solemnitatibus contractis, vel contrahendis manifestare teneantur sub pœna excommunicationis.

[redacted]

Declaratio impedimentorum pro instructione Sacerdotum. C. X.

NE autem impedimenta matrimoniorum à quoquam ignorari probabiliter possint, pro sacerdotum instructione ea hic summatim describi fecimus. Sunt autem huiusmodi impedimentum consanguinitatis proueniens inter eos, qui ex eodem sanguine descendunt, siue per masculinam, siue per fœmineam lineam, qui vsque in quartum gradum inclusiuè matrimonium inuicem contrahere non possunt, graduum autem computatio fiet accipiendo primum stipitem, idest illum virum, seu illam mulierem, à quo, vel qua ipsorum contrahere volentium consanguinitas initium habuit, & gradatim numerando personas, à quibus

descenderint tam sponsus, quàm sponsa contrahere volentes, ita vt quotus erit numerus illorum remotior à stipite, tali gradu consanguinitatis inter se coniuncti esse dicantur, exempli gratia, Franciscus genuit Antonium, & Mariam: ex Antonio natus fuit Iulius: ex Iulio Gregorius: ex Gregorio Helisabeth. Item ex Maria genita fuit Agnes: ex Agnete Blasius: ex Blasio Theodorus, qui contrahere vellet matrimonium cum Helisabeth, nisi obstet impedimentum. Accepto igitur stipite, idest Francisco, numera personas ab illo descendentes, vsque ad contrahere volentes, ipso videlicet stipite omisso, qui non computatur: & inuenies per lineam Antonij vsque ad Helisabeth esse gradus quatuor, idest Antonium, Iulium, Gregorium, & ipsam Helisabet: & similiter faciendo per alteram lineam ex Maria ad Theodorum inuenies gradus totidem. Quapropter dicendum erit Theodorum non posse contrahere cum Helisabeth: quia quarto consanguinitatis gradu coniuncti sunt: sed benè posset Theodorus contrahere cum filia Helisabeth, vel contra Helisabeth cum filio Theodori: quia illa persona addita fecerет quintum gradum. Attenditur enim semper, vt prædictum est, remotior gradus. Posset ergò exempli gratia filia Helisabeth contrahere cum Theodoro, & omnibus suis ascendentibus vsque ad Franciscum stipitem exclusiuè. Dicitur autem exclusiuè quo ad stipitem, quia prædicta procedunt inter collaterales: qui post quartum gradum contrahere possunt: sed inter ascendentes, & descendentes prohibitio censetur esse perpetua in infinitum: adeò quòd sicuti dicunt Doctores, si hodie viueret Adam, non posset vxorem accipere præter Euam, cum alię omnes mulieres sint ab ipso descendentes. Impedimentum affinitatis prouenit ex coniunctione maris, & fœminæ, siue illi matrimonialiter, siue aliàs ex illicito coitu copulentur. Procedit autē hoc impedimentū non inter ipsos sic coeuntes,

tes, sed solummodo inter consanguineos personarum sic copulatarum, & ipsos copulatos, adeò quòd si Titius, & Berta simul commiscerentur, nullus Titij consanguineus vsque in quartum gradum posset Bertam in vxorem accipere: & pariter è conuerso, nulla Bertæ consanguinea vsq; in eundem quartum gradum posset accipere Titium in virum. Attamen, quia hoc impedimentum, sicuti dictum est, oritur solummodo inter personas copulatas, & ipsorũ inuicem consanguineos, benè posset Germanus frater Bertæ contrahere cum sorore Titij, & è conuerso. Impedimentum publicæ honestatis est quoddam impedimentum canonicum, quod oritur, vbi quis per verba de præsenti, siue de futuro sponderit alicui mulieri, quòd eam acciperet in vxorem: & postea non sequatur effectus consumationis matrimonij, siue quia alter ipsorum desponsatorum mortuus est; aut quia sponsalia inter eos communi consensu sunt dissoluta: aut ingressi sunt religionem, aut quia Canonicum aliquod eis obstabat impedimentum, quominus matrimonium consumare possent: efficitque hoc impedimentum, vt nullus ipsorum sponsorum respectiuè consanguineus vsque in quartum gradum contrahere possit matrimonium cum sponso, vel sponsa prædictis, etiam si eadem sponsalia inualida fuissent, & super inualiditate, & nullitate illorum Iudicialis sententia prolata fuisset. Impedimentum cognationis spiritualis est, quod prouenit ex causa Baptismatis, & Chrismatis. Oritur autem hoc impedimentum inter eum, qui baptizatur, & eum, qui ipsum de sacro fonte leuat, ipsiusque leuantis vxorem antea cognitam carnaliter, & filios siue legitimos, & naturales, siue naturales tantum: & item inter baptizati patrem, & matrem, ac ipsum leuantem: adeò quòd puer baptizatus non poterit contrahere matrimonium cum aliqua ex filiabus leuantis, neque cum illius vxore remanente vidua, & idem,

è conuerso, si sit puella baptizata. Et leuans non poterit contrahere cum baptizato, neque cum eius patre, vel matre: ipseque pater, seu mater baptizati non poterit contrahere cum coniuge leuantis postea mortui. Eademque impedimenta essent consideranda circa personam baptizantis, si casus contingeret, quòd ille aliàs vxorem ducere posset. Ex quibus infertur, quòd inter filios leuantis, & fratres, seu sorores baptizati non oritur impedimentum. Et prædicta itidem per omnia intelligenda sunt in casu Chrismatis. Impeditur etiam contractus matrimonij per cognationem legalem, quæ oritur ex adoptione: si quidem non posset quis contrahere cum ea, quam sibi adoptauisset in filiam: neque eiusdem adoptantis alij filij, vel filiæ cũ adoptato, vel adoptata adoptione durante.

Nullus Titij consanguineus, &c.] Aduertendum est affinitatem ex fornicatione contractam per Conc. Trid. restrictam esse ad secundum gradum his verbis sess. 24. c. 4. de reformatione Matrimonii. Præterea sancta synodus eisdem, & aliis grauissimis de causis adducta impedimentũ, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui primo, & secundo gradu coniunguntur, restringit. in vlterioribus verò gradibus statuit huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere. hactenus synodus. Pius 4. Pont. Max. postea per Bullam, quæ incipit, Ad Romanum Pontificem spectat; declarauit, ac decreuit in vlterioribus illis gradibus non solum non dirimi matrimonium contractum, vt ait synodus, sed etiam licitè contrahi posse.

Etiam si eadem sponsalia inualida, &c.] Synodus eadem restrinxit ius antiquum, quoad impedimentum publicæ honestatis, & ei parendum est. verba sunt hæc sess. 24. c. 3. de reform. matrimonii. Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit: vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in vlterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio obseruari. hæc illa. De impedimento proueniente ex matrimonio rato non

consummato nihil decreuit de nouo, vt decreuit Pius V. in Bulla edita anno 1568. cal. Iulii.

Impedimentum cognationis spiritualis, &c.] Et hanc cognationem synodus restrinxit sess. eadem c. 2. Statuit, vt vnus tantum siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur, & infra. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. Extat etiam huius loci declaratio facta à Pio V. anno 1566. qui declarat cognationem hanc spiritualem ad eos tantū extendi, quos concilium expressit.

Pœna contrahentium in gradu prohibito: et quòd inducantur communia ad statuen. contra tales. Cap. XI.

VOlentes animarum periculis obuiare prohibemus, ne de cętero in aliquo consanguinitatis, seu affinitatis gradu, aut cognatione spirituali scienter aliqui audeant matrimonialiter copulari: & quicunque taliter, & scienter copulati fuerint, aut etiam ignoranter, & clandestinè, postquam sciuerint se tam nequiter inter se absque sufficienti dispensatione contraxisse, debeant, postquam à proprio parocho moniti fuerint, in termino nouem dierum se ab inuicem totaliter, & effectualiter separare: alioquin elapsis diebus prędictis omnes sic incestuosè coniuncti, qui à iure communi excommunicati non fuerint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Et sacerdotes monitionem prædictam facere nullatenus differant: procurentque omnino, vt homines, & consiliarii locorum imponant etiam pecuniarias pœnas contra tales in gradu

pro-

prohibito ſcienter, vel etiam ignoranter, dummodo clandeſtinè contrahentes.

Conc. Tridentinum ſeſſ. eadem cap. 5. imponit pœnas contrahentibus matrimonium intra gradus prohibitos: ad illas hæ reuocentur.

Ne vxores ducantur tempore ab eccleſia interdicto. Cap. XII.

STatuimus, quòd Rectores parochiarum parochianos ſuos publicè debeant admonere, ne vxores ducant tempore ab eccleſia interdicto, videlicet à prima dominica Aduentus domini noſtri vſq; ad Epiphaniā ſolum iuxta huius patriç conſuetudinem;& à ſeptuageſima vſque ad octauam paſchæ: & à dominica ante rogationes vſque ad primam dominicam poſt Penthecoſten: quoniam mortaliter peccant, & ſunt grauiter puniendi. Qui autem matrimonia tempore interdicto, & ab eccleſia prohibito, in faciem eccleſiæ ſolennizauerint, aut ſolennizari permiſerint, toties, quoties contrafactum fuerit, condemnabuntur.

Hæc etiam conſtitutio ad decreta Conilij conformanda eſt, quod c. 10. ſic ait, Ab Aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti vſq; in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vſque in octauam Paſchatis incluſiuè antiquas ſolennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruati ſancta ſynodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias ſolenniter celebrari permittit.

De

De obseruandis in benedictione sponsarum. Cap. XIII.

VNiuersis, & singulis Archipresbyteris, Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Curatis ciuit. & diœc. nostræ Veronen. mandamus, & præcipimus, quòd non audeant, neque præsumant publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, aut quouis alio quæsito colore per se, vel alium, seu alios sponsas benedicere, nisi interfuerint etiam sponsi: & quòd benedictiones, quæ occurrunt faciendæ, fiant de mane in Ecclesiijs, & non domibus prophanis cum Missæ celebratione, & solemnitatibus, quæ requiruntur, post ortum Solem, & illucescentem diem; ne occasio detur contemnendi tam excellens sacramentum, & lasciuias, ac spurcitias quasdam committendi. Et ideo prohibeatur, ne fiant risus, cachinnationes: aut alia ridicula verba enuntientur: quinimmo admoneant, quatenus contriti, & confessi ad hoc sacramentum cum multa reuerentia accedant: & quòd nullus sit tam audax, & temerarius, quòd sub quouis prætextu præsumat benedicere sponsam, quæ non sit de sua parochia: & benedictiones fiant transactis feriis, vt dictum est proximè: & secundum consuetudinem hactenus obseruatam cum Missę tamen semper celebratione: quæ forsan celebrari solita non erat.

Syn. Triden. sess. eadem c. 1. Præterea hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent: statuitque benedictionem à proprio parocho fieri: neque à quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse:

posse, quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela est dicenda, vel priuilegio non obstantibus. Quòd si quis Parochus, vel alius sacerdos siue regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. & cap. 10. Nuptias Episcopi, vt ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.

Meminerint Parochi (quod in constitutionibus his non fuerat prouisum) seruare diligenter præceptum syn. sess. 24. ca. 1. quod sic habet. Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii describat quem diligenter apud se custodiat.

DE REBVS AD VNAMQVAMQVE ECCLESIAM PERTINEN. conseruandis, & de illis non alienañ.

TITVLO OCTAVO.

Vt de bonis Ecclesiarum fiant inuentaria. Cap. I.

NE Ecclesiarũ bona tam mobilia, quàm immobilia ex eorum, qui præsunt, negligentià, vel ignorantia depereant, præcipimus omnibus, & singulis Ecclesiarũ, Monasteriorum, & aliorum quorumcunque piorum locorum Rectoribus, Administratoribus, vt firmis, & ratis manentibus, & hic pro repetitis habitis pœnis, & censuris aliàs editis, & promulgatis tam per fe. re. Paul. 2. quàm aliorum Romanorum Pontificum cõstitutiones, & sacrorum Canonum dispositionem contra alienantes inconsulta sede Apostolica immobilia Ecclesiarum, & sacrorum locorum bona, qui nunc sunt infra tres menses à die publicationis præsentium constitutionum, qui verò erunt in futurum, infra triginta dies à die suscepti per eos talis regiminis assumptis secum duobus antiquioribus de populo, in quo sita est dicta Ecclesia, vel locus pius, vna cum Rectore, seu Syndico populi prædicti faciant inuentarium de omnibus bonis mobilibus, & immobilibus Ecclesiarum, & locorũ prædictorum, adnotando in vno, vel pluribus folijs omnia vasa sacra, vestes, supellectilia, fundos, agros, domos cum qualitatibus, & confinibus suis scribendo per se, vel per alium, cum subscriptione assumptorum prædictorum, si sciant scribere, aliàs cum subscriptione

Notarij, qui de eorum pręsentia, ac diligentia fidem faciat. Quo inuentario facto, illiusque apud se vno exemplari autentico, altero verò in manibus Sindici, seu Consiliariorū relicto, infra quindecim dies pręsentare teneantur tertium officio nostro: quod transcribi volumus in vno libro specialiter ad hunc vsum destinato in cancellaria nostra ad perpetuam rei memoriam.

Vsum huiusmodi Inuentariorum de bonis ecclesiasticis asseruandorum in Archiuio episcopali plurimum laudauit S.D.N. Sixtus. V. in Breue extinctionis, seu suppressionis officij Archiuistæ generalis: nec non mandauit, vt vbi non esset hic vsus, introduceretur.

Quòd nouiter prouisi de beneficijs præsentent etiam inuentaria. Cap. II.

IDemque præcipimus omnibus illis, qui in futurum Ecclesias, aut loca præmissa receperint, vt & ipsi Inuentaria huiusmodi conficiant, eaq; officio nostro præsentent, priusquam dictorum locorum, & Ecclesiarum bona, & fructus administrare incipiant, declarando eosdem nouiter prouissos de dictis beneficijs, Ecclesijs, aut locis eo ipso priuatos esse omnibus fructibus, & redditibus ante confectionem prædicti inuentarij perceptis, fabricæ nostræ Ecclesiæ Cathedralis applicandis.

Eo ipso priuatos esse) id intelligitur, si scienter Inuentarium conficere neglexerint.

Quòd Capellanis, & alijs quibuscunque Paramenta, & Calices consignentur. Cap. III.

STatuimus etiam, vt Capellani, & Sacristæ, & alij tam Clerici, quàm Laici, quibus rerum sacrarum, seu aliarū

ad

ad vſum Eccleſiarum, ſeu Altarium pro diuino cultu ſpectantium cuſtodia,& cura demandatur,debeant,& teneantur res, & bona omnia prædicta ſub inuentario à Sindicis, & Maſſariis Plebium, & Eccleſiarum Rectoribus ſuſcipere:vt ſi quid poſtea amiſſum fuerit, qui talem conſignationem habuerunt, ad omnium damnorum, & emendarum refectionem teneantur. Et inſuper, ſi talem adminiſtrationem ſuſcipientes non ſunt ſoluendo, quia pauperes, aut alienigenæ, priuſquam ad id officium admittantur, vel quòd eis configetur,etiam de indemnitate Eccleſiarum,& altarium prædictorum idoneam præſtare debeant cautionem pro huiuſmodi ſua adminiſtratione. Qui omnes etiam annuatim cum ſuis inuentarijs teneantur de præmiſſis omnibus rationem reddere ſuarum Eccleſiarum Rectoribus, vel alijs,ad quos ſpectauerit. Qui autem præmiſſa non ſeruauerint,& ſi quid amiſſum fuerit,reſtituere,& etiam alias pœnas pro inobedientiæ reatu ſuſtinere teneantur.

Quòd in qualibet Parochia ſit vnus liber,in quo deſcribantur Parochiani. Cap. IIII.

Debeat etiam in qualibet parochiali Eccleſia per illum, ad quẽ eius cura ſpectat, teneri vnus liber particularis: & in eo deſcribantur, & deſcripta teneantur nomina,& cognomina omniũ,& ſingulorum ipſius Parochianorum;quum non minus expediat vaſa viuentium, quàm metallorum cuſtodire; & dominus dixerit, Agnoſce vultũ pecoris tui. ex quo facilius erit ipſius curæ exercitium in multis caſibus,in quibus numerum,nominaque,& cognomina Parochianorum ſcire expedit, prout ex ſupraſcriptis, & ſequentibus conſtitutionibus liquere poterit.

De non pignorando bona Ecclesiastica. Cap. V.

NVllus, qualis qualis sit, Calices, seu Focalia, aut quęcũq; ornaméta Ecclesiastica, Cruces, Vestes, & id genus alia non solum Hebræis, sed neque etiam Christianis, pro quacunque necessitate sine nostra licentia pignorare audeat, vel præsumat sub pœna lib. vigintiquinque Veronens. irremissibiliter auferendarum.

Neq; etiam Christianis] Addimus nos, neque etiam sancto Monti Pietatis, cum repugnet primo eius capitulo generali.

Contra occupatores decimarum, & aliorum Ecclesiasticorum bonorum. Cap. VI.

SI quis laicus, aut Clericus occupat, seu detinet bona, agros, possessiones, iura, instruméta, scripturas, aut quęcunque alia ad quascunque ciuitatis, & dięcesis nostræ Ecclesias Dignitates, Altaria, Monasteria, & pia loca quomodolibet spectantia, & pertinentia, debeant infra vnius mensis spacium à die publicationis harum constitutionum illa, & illas, cui, vel quibus debẽtur, & ad quem, vel quos spectant, notificauisse, consignauisse, restituisse, & dimisisse: alioquin dicto mense præterito nũc detinentes, & si quos etiã in futurum occupare, & detinere continget, si Clerici beneficiorum priuationem incurrant, si verò laici extiterint, vltra excommunicationis pœnam, quam omnes incurrere volumus ipso facto, præterea priuilegiis omnibus Ecclesiasticis, feudisque, & emphyteosibus, ac iuribus ab Ecclesia

quo-

qbomodocunque obtentis priuati sint,& intelligatur. Scientes quoque tales detentores,& occupatores,nisi infra præfatum tempus illos manifestauerint, excommunicationis sententiæ subiaceant.

Videatur Bulla Sixti V. lecta in die cœnæ dñi tit. 6. c. 24. & legatur num. 17. ibi. n. Pontifex excommunicat occupantes iurisdictiones,& sequestrantes fructus ecclesiarum. Legatur etiam conc. Trid. sess. 22. c. 11. de reformatione: vbi huiusmodi occupantes anathemati submittit,& absolutionem Pontifici romano reseruat.

De inuestigandis huiusmodi occupatoribus, & miserabilium personarum oppressoribus. Cap. VII.

STatuimus,& ordinamus,quòd omnes Clerici, & maximè beneficiati inuigilent,atque studeant perquirere,si qui sunt detentores bonorum Ecclesiasticorum, aut decimarum,seu oppressores Ecclesiasticæ libertatis, piorum locorum, viduarum, pupillorum, & aliarum miserabilium personarum; & si quos repererint, nobis, aut Vicario nostro significent, & referant; vt contra illos debita possit fieri prouisio. Qui autem negligentes fuerint reperti, pro qualitate negligentiæ punientur.

De modo administrandi bona Ecclesiastica. Cap. VIII.

QVum Ecclesiarum bona in dominio Dei sint posita, possessio verò eorum apud Ecclesiam, administratio autẽ apud Rectores,omnes clericos,& sacerdotes,& ecclesiasticorũ bonorũ huiusmodi administratores quoscũq; admonemus, & eis p. hæc salubria statuta præcipimus, &

mandamus, vt de bonis Ecclesiarum bonam curam,& administrationem habeant,& studeant, & inuigilent,ne vsurpentur. Casu verò quo aliquo modo in libera administratione huiusmodi per quemquam impediri eos contingat, teneantur tales impedientes nobis denuntiare ad hoc, vt possimus indēnitati Ecclesiarum, prout tenemur,opportunè consulere: & si per eorum negligentiam Ecclesiæ eorū passæ fuerint damnum,pœnis iuris afficientur,& aliæ pœnæ arbitrio nostro eis imponentur.

De reddendo computo administrationum locorum piorum singulis annis coram nobis, seu alijs per nos deputatis. Cap. IX.

QVum fabricæ quamplurimarum Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum ciuitatis,& diœcesis nostrę Procuratores,seu Sindici,similiter societatum, & fratellarum Massarij,Priores, aut alio quocunque nomine nuncupati administratores ad suum nutum sępe redditus, & prouentus,atque oblationes inde prouenientes inter se dispensent,vel etiam cum dictorum piorum locorum pecunijs,& rebus absque Rectorum Ecclesiarum,& locorum eorumdem scitu, & consensu propria interdum commoda quærant,ac mercationes,& contractus interdum vitiosos, exerceant, dictas pecunias ad alios priuatos vsus conuertere non formidando, nec de per eos perceptis, collectis, exactis, & gestis rationem reddere studeant, dicta pia loca, & proprias animas defraudando, Iccirco vt ecclesiarum,& locorum prædictorum fructus,prouētus,oblationes, & eleemosinæ iuxta pias fidelium voluntates, & sacrorum Canonum dispositionem ritè,& rectè,& laudabiliter dispensentur,præsenti constitutione ordinamus, atq; in virtute sancte

ctę obedientię, & sub excõis pęna mandamus, quatenus omnes prædicti dictorum locorum Gubernatores, quocunque nomine censeantur, citra eorum priuata commoda fideliter omnia dispensent cum scitu, & participatione Archipresbyteri, aut Rectoris, seu locumtenentis: & semper vtilitatem ecclesiæ promoueant: & de singulis per eos leuatis collectis, distributis, actis, & factis in præsentia illorum, quos nos ad id deputauerimus, singulis annis temporibus consuetis fidele, & reale computum reddant.

Conc. Trid. sess. 22. c. 8. de reformatione vult episcopos habere ius visitandi omnia pia loca, etiam confraternitates laicorum, etiam quæ scholæ, seu quocunque alio nomine vocentur, vt latius patet in eo loco: & cap. 9. Administratores, inquit, tam ecclesiastici, quàm laici fabricæ cuiusuis eccles. etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ Montis pietatis, & quorumcumq; locorum piorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & priuilegiis quibuscunque in contrarium sublatis, nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautũ esset. Quòd si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: & aliter factę deliberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

De Sindicis remanentibus debitoribus.

Cap. X.

PRędicto autem modo, & coram deputatis personis, vt præfertur, per Sindicos, aut Massarios computis administrationum suarum calculatis, si quis in his repertus fuerit debitor, totam debiti summam suo immediatè successori sub pœna excommunicationis saltem infra triduum soluere, & realiter assignare teneatur: & nihilominus, quousque integram solutionem compleuerit, ab omni eiusdē Ecclesiæ, vel loci pij, aut societatis bonorum illius administratione,

ſtratione,officio,& beneficio ſit penitus inhabilis.Pecunias autem,quæ ſupererunt, volumus applicari per eos de conſenſu ſemper Rectoris Eccleſiæ vel in vſum reparationis Eccleſiæ,aut curam,ſeu eleemoſynam pauperũ, aut alios pios vſus,prout nobis,attentis locorum,& temporum qualitatibus,viſum fuerit.

De relictis ad pias cauſas exequendis. Cap. XI.

QVum pium ſit vltimas teſtatorum voluntates, quaſi perpetuas leges adimpleri,& obſeruari,& noſtro incumbat officio paſtorali, talibus prouidere,& teſtamenta vtroque iure ſuadente defendere,& exequi,propterea præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis teſtamentorum executoribus ſiue laicis, ſiue Clericis, vt quaſcunque teſtatorum diſpoſitiones ſibi commiſſas, & per eos ſemel acceptatas ſine cunctatione, ſub excommunicationis pœna exequantur in omnibus.Scientes quoque circa præmiſſa aliquid non adimpleri, ad id reuelandum hortamur, etiam ſi tale onus ſibi aliàs non incumbat.

Nil mirum,quòd Io, Matthæus epiſcopus tot conſtitutiones ediderit de legatis piis: nam ex conc.Trid. ſeſſ. 22.c.8. reform Epiſcopi etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegati in caſibus à iure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum tam in vltima voluntate, quàm inter viuos ſunt executores.

De fidei Commiſſarijs. Cap. XII.

SAncimus præterea, & ordinamus, vt executores teſtamentorum, & quarumlibet vltimarum voluntatum, qui

qui hactenus fuerint instituti, & qui de cetero instituentur relicta ad causas pias teneantur infra tempora deputata, seu aliàs à iure statuta, quę tēpora à dię mortis currant, dicta legata exequi. In his autē, quorum executio absque rationabili causa, & per nos approbata hactenus protracta est, in omnibus seruari mandamus distinctionem illam contentam in edicto nostro materna lingua impresso: & iam in ciuitate, & dioec. publicato: quod tam per prædicatores, quàm Curatos, & monasteriorum Prælatos, & eorum subditos ad confessiones audiendas deputatos obseruari, sub pœnis, & censuris in eo contentis præcipimus, & hic etiam inter has nostras Constitutiones repetē n. curauimus, vt ex ea repetitione omnes promptiores reddantur ad exequendum, quæ circa præmissorum legatorum executionem obseruanda mandauimus.

Edictum pro legatis pijs.

QVum Reuerendiss. D. Episcopus. Verōn. & legatus Apostolicus, ad quem pro eius pastorali officio, & vtriusque iuris dispositione procurare spectat, vt piæ defunctorum voluntates nimis protelatę executioni debitæ demandentur, continuè varijs modis elaborauerit, vt legata ad pias cās huiusmodi adimplerentur, nec adhuc optatum consequi potuerit effectum, decreuit ad remedia spiritualia conuolare. Ea propter madato eiusdem Reuerendiss. D. Episcopi omnes, & singuli, cuiuscunque gradus, & conditionis existant, qui ad aliquod legatum ad pias causas simul, vel diuisim obligati sunt, monentur in domino, ac eisdem nihilominus in virtute sanctę obedientiæ, & sub excommunicationis pœna præcipitur, quatenus in termino dierum triginta, quorum eisdem decem pro primo, decem pro secundo, & reliqui decem pro

tertio, vltimo, & peremptorio termino assignatur, postquã præsentes ad eorum notitiam peruenerint, legata prędicta adimpleuisse, & de hoc eid. R. D. Episcopo, seu ad hoc deputatis ab eo, fidem fecisse debeant. Quòd si prædicta legata adimplendi, vt præfertur, facultatem non habuerint, cõpareant saltem in dicto termino coram dicto R. D. Episcopo, aut ab eo deputatis honestos, & competentes terminos reportaturi, prout eidem R. D. Episcopo, vel deputatis ab eo, temporum, & personarum qualitate benè pensata, expedire visum fuerit.

Si verò circa dictorum legatorum executionem dubitaretur, quum in casu huiusmodi in securiorem partem interpretatio fieri debeat, prædicta legata, prout transactum tempus, personarum qualitates, & alias præsumptiones persuadere visum fuerit, moderabuntur. Quò verò ad legata, quæ à quadraginta annis antea adimpleri debebant, si hi, ad quos ea adimpleri spectabat, de executione dubitauerint, nõ vult idem R. D. Episcopus præsentes ad eos extendi, sed tales propriæ relinquit conscientiæ.

Et ne deinceps ad talia legata obligati confessores, seu potius seipsos, in præiudicium animarum suarum, & defunctorum detrimentum decipiant, propterea idem R. D. Episcopus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quibusuis sacerdotibus secularibus, & regularibus ordinis cuiuscunque, etiam exemptis inhibet, ne quempiam ad aliquod legatum ad pias causas obligatum absoluant, nisi prius eidem R. D. Episcopo, aut ab eo deputatis satisfecerit, seu dè satisfaciendo idoneam præstiterit cautionem. Et nequis de pręmissis ignorantiam prętendere valeat, mãdat D. Prioribus, Guardianis, & Prælatis quorumcunque monasteriorum ciuitatis, & dięcesis Veronensis, seu eorum Vicarijs, quòd pręsentes in eorum conuentibus intimasse, & publicasse, & de publicatione huiusmodi in termino die

rum trium,postquam præsentes literæ eisdem præsentatæ fuerint,in cancellaria nostra retulisse debeant.

Patres insuper prædicatores in eorum sermonibus præsentes publicabunt, eos omnes, qui ad huiusmodi legata exequenda tenentur, quanto efficacioribus verbis poterunt,& ab omnipotēti Deo nostro sibi dabitur,exhortādo.

Dat.In Episcopatu Veronæ:Die.3.Martij.1540.

De Notarijs rogatis in præmissis. Cap. XIII.

VT autem pręfata cōstitutio suum istum facilius cōsequatur effectum,statuimus,& mandamus, vt omnes Notarij,& quicunque,qui de prædictis testamentis, & fideicommissis rogati fuerint instrumenta conficere,in quibus relictum sit aliquid ad pias causas,teneantur, postquā testamenta ipsa morte confirmata fuerint,si in ciuitate,nobis,vel Vicario nostro:si verò in diœcesi fuerint,& ad ciuitatem venire, vel mittere noluerint, Rectori Parochialis Ecclesiæ,sub qua conditum est testamentum,dictorum legatorum exemplum exhibere infra tempus duorum mensium,recepta competenti mercede,prout eam sibi per Ecclesiam,seu locum, vel personam, cui relictum fuerit,solui volumus. Parochialis etiam sacerdos, si præsens fuerit ad prædicta, vel de his etiam notitiā habuerit, id nobis significare,& exempla sibi,vt præfertur,consignanda ad nos statim mittere curet.

Volumus etiam,vt Notarij certiores faciant de legatis piis eos, ad quos pertinebunt.

De libro talium relictorum ad pias causas tenendo. Cap. XIIII.

ET, vt horum legatorum memoria facilius conseruari possit, statuimus, & ordinamus, vt in nostra Curia Episcopali teneatur vnus liber, in quo illa specialiter describantur per Notarium ad id deputatum: qui Notarius describens debeat habere duos solidos pro scriptura,& labore suo in reponendo memoriam dicti legati in præfato libro: quos duos solidos soluere teneatur ille, vel illi, quibus, seu quorũ Ecclesijs,vel locis legata huiusmodi relicta sunt.Scribat etiam nomen Notarij, testatoris, & legatarij, diem,& annum, & testes.

Quòd oblationes pertineant ad principalem cuiuslibet Ecclesiæ Rectorem. Cap. XV.

VT scandali,& rixę tollatur materia,statuimus,& ordinamus omnes oblationes consistentes in cera tam laborata,quàm non laborata,frumento,bladis, pane,vino, oleo,& caseo,pannis, laneis, lineis,galletis,vel alijs quibuscunque rebus,quæ quoquomodo fierent in qualibet parte Ecclesiæ, vel Cœmeterij, aut eius pertinentiarum,spectare,& pertinere ad Ecclesiam,& Rectorem eius:nisi priuilegio, aut alio speciali iure alteri competere dignoscantur.

DE CLERICORVM POENIS, ET ALIORVM.

TITVLO NONO.

De pœna simplicis fornicationis. Cap. I.

AD compescendas autem vndique Clericorum immunditias ordinamus, quòd pro simplici fornicatione, de qua conuictus fuerit aliquis Sacerdos, in lib. 25. pro prima vice condemnetur, & per mensem à celebratione Missarum sit suspensus. quòd si fęmina illa sit, quam delinquens sumptibus proprijs extra domum habitationis suæ alebat, aut cum ea frequens carnale commercium habuisse conuictus sit, his casibus delinquentem ipsum pœnæ, quam contra concubinarios statuimus, subiacere volumus.

Conc. Trid. sess. 25. c. 14. de reform. præscribit modum procedendi contra clericos impuræ vitæ, atque concubinatu infectos: datque facultatem episcopis eos puniendi non solum suspensione, verùm etiam beneficiorum priuatione, & excommunicatione. Legatur ergo is locus diligenter: quia diligenter etiam à nobis seruabitur synodi decretum.

Pœna commiscentis se cum parochiana sua. Cap. II.

SAcerdotem autem illum, si quis tantæ impudentiæ inuentus fuerit, qui postposito Dei timore, se cum parochiana

chiana sua commiscuerit, in 25.ducat. condemnamus,eũ perpetuo ab exercitio curæ suspendentes, postquam per annum in carceribus corpus suum ieiunijs, & abstinentijs maceraturus permanserit,& à ciuitate, & diœc.per decennium sit exul.

Pœna sacerdotis abutentis filia spirituali: & reuelantis habita in confessione. Cap. III.

ET cum simus homines,falli possumus, nec hominum corda scrutari valemus,ne quod boni causa institutũ est, mali sit fomes, & origo, si quis eorum, qui iuxta aliam desuper editam constitutionem per nos tanquam boni,& idonei electi sunt,spreto Dei honore,cum ea,cuius confessionem audiuit,quicquam inhonestè,turpiterue egerit,aut eius pudicitiam attentauerit, aut eam ad lasciua, & inhonesta perpetranda suaserit, si non deuentum est ad actum, temporanea pœna acriter punietur, si verò ad actum turpitudinis est deuentum, ac etiam qui peccatum in confessione auditum signo,aut verbo prodiderit, confessionisque sigillum fregerit,beneficijs,officijsque eo ipso suspensum,priuatum, perpetuisque addictum vinculis volumus, & declaramus.

Contra adulteros. Cap. IIII.

ADulterij crimine conuictum in ducatos quinquaginta condemnamus, & ad standum in carceribus ad arbitrium nostrum: & si semel conuictus iterum conuincetur, eo ipso beneficijs priuatus, atque à ciuitate, & diœc.nostra ad arbitrium nostrum sit exul.

Item

Item contra adulteros, & concubinarios, & coniugatos non cohabitantes ex propria temeritate. Cap. V.

CVmque in grauem animarum ſuarum, & Dei offenſam, & maximum ſcandalum plurimorum quædam perſonæ per diœceſim noſtram reperiantur, quæ relicto legitimo thoro, non verentur in vna domo in adulterinis complexibus manifeſtè cohabitare, cum nimis reprehenſibilis ſit, qui vxorem habet, & ad aliam mulierem accedit: qui verò ſolutus eſt, ſi continere nolit iuxta Apoſtoli conſilium nubat in domino, mandamus omnibus Rectoribus, Plebanis noſtræ ciuitatis, & diœc. quatenus laicos vtriuſque ſexus concubinarios, & in adulterinis amplexibus in ſimul reſidere non verentes, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, admoneant, & requirant, quòd niſi infra terminum nouem dierum, quos pro tribus terminis, ac trina canonica monitione præmiſſa, eiſdem, & eorum cuilibet præfigant, & aſſignent, concubinatum, & cõcubinas ipſas, & quaſcunque fęminas de incontinentia ſuſpectas realiter, & cum effectu dimiſerint, ac ſe ab inuicem prorſus, & omnino ſeparauerint animo, & intentione ſtabili de cetero ad vomitum non reddeundi, excommunicationis latæ ſententiæ pęnam eo ipſo incurrant; à qua nullatenus ab aliquo, præterquam à nobis, aut à Vicario noſtro abſolui poſſint, etiam pręmiſſis omnibus, & ſingulis adimpletis, elapſo dicto termino.

IDemquoque obſeruari volumus etiam contra illos, qui adulteros, & adulteras huiuſmodi in domibus ſuis ſcienter recipiunt, vel ſuſtinent, ne illos, vlterius foueant, aut in domibus, ſeu hoſpitijs ſuis retineant.

Si-

SImilis quoque terminus assignatur omnibus, & singulis coniugatis vtriusque sexus, qui sibi ex propria temeritate mutuò cohabitare nolunt, & recusant: & etiam hospitantibus illos scienter, seu domos suas locantibus illis, etiam si non constet, quòd cum alijs fornicentur, vel adulterentur, nisi iusta subsit causa, cur redire recusent, siue illa subesset à principio, siue postea inciderit: quam tamen infra eundem terminum allegare, & probare teneantur.

IPsi verò Rectores, Plebani, & Curati, qui supradictos monere omiserint, grauiter pro nostro arbitrio punientur. Quibus etiam sub simili comminatione districtius iniungimus, vt eorundem rebellium nomina infra decem alios dies nobis, vel Vicario nostro denuntient, vt contra eosdẽ ad vlteriora, prout iuris fuerit, procedere valeamus.

Concil. Trid. sess. 24. c. 8. de reformat. matrimonii statuit, quomodo procedendum sit contra concubinarios: quod decretum nos seruabimus. Quarę canonicas monitiones, excommunicationis comminationem, & lationem nobis, aut Vicario nostro generali, aut alteri ad id specialiter deputando reseruamus. Rectores autem, & Plebani paternis admonitionibus publicè, & priuatim conentur tales à peccato reuocare.

Contra incestuosos. *Cap. VI.*

EOs, quos instigante diabolo, tam nephandum scelus admisisse, cum matre, sorore, de quibus ferè naturale fędus nihil permittit sæui criminis suspicari, aut filia spirituali, idest quam baptizauerint, vel in baptismo, aut in cõfirmatione tenuerint, vel cuius confessionem audiuerint, carnaliter rem habuisse constiterit, beneficijs, si quę habuerint, eo ipso priuatos declaramus, atque ad perpetuam pęnitentiam agendum in vinculis conijciendos. Pro alijs incestibus

cestibus vsque ad quartum gradum mulctam quinquaginta ducatorum indicimus:& carceris pœnam ad arbitrium nostrum statuimus.

Contra clericos violatores virginum, ac viduis nuptisque vim afferentes. Cap. VII.

QVi autem virgini stuprum violenter, aut viduæ alioqui honestæ vim intulerit, beneficijs priuetur, & virginem, cui vim intulit, dotare cogatur; & si beneficijs caret, amplius in ducatis quinquaginta mulctetur, pellaturq; vtroq; casu à ciuitate, & diœc. Veroneñ. per decẽnium, post quam in carceribus ad arbitrium nostrum detentus fuerit. Si verò virginem volentem vitiauerit, ad tempus ad arbitrium nostrum limitandum à diuinis suspensus existat, & in ducatis vigintiquinq; condemnetur. Si verò nuptæ violentiam intulerit, eo ipso beneficijs priuatum, & vinculis perpetuò eum alligari decernimus.

Contra accedentes ad monasteria monialium, & sacrilegium committentes Cap. VIII,

SI quis laicus pręter eos, qui per constitutiones monialium alias per nos editas accedere permittantur, ad aliquod monasterium ciuitatis, & diœc. Veroñ. sine nostra, vel Vicarij nostri licentia accesserit, perturbauerit, ingressus fuerit, vitiauerit, vel eduxerit aliquam ex ipsis monialibus, vel sororibus, sententiam excommunicationis incurrat: & vltra dictam excommunicationis sententiam pęnis contra tales per decreta. Illustriss. Dominij Veneti promul

gitis subiacebit. Siquis verò Clericus secularis, vel cuiusuis ordinis regularis ad aliquod ex prædictis monasterijs ēt ad parlatoria,ēt cōsanguinitatis,seu quouis alio prætextu, vel occasione se cōtulerit sine licētia huiusmodi,incidet in pęnam excōicationis latæ sententiæ, & standi in carcere Episcopatus Veronæ per semestre continuum ad pœnitētiā peragendam,iuxta arbitriū nr̄um.Si verò occurrerit(q̄ absit) quòd aliquis,cui non erit permissum,septa, vel claustra alicuius ex monasterijs huiusmodi ingrederetur, tam in dictam excōis,quàm carceris per biennium pœnas incurrat.quòd siquis de nocte in aliquo monasterio reperietur,vel compertum fuerit ipsum in aliquo monasterio nocturno tempore fuisse,in dictæ excommunicationis, & carceris per quadriennium pœnas incurrat. Si verò contigerit (quod Deus auertat) vt talis ingressus professionis suæ immemor, & salutis aliquam de dicto monasterio carnaliter cognouerit, vel libidinis causa per alium abductam ad hunc finem retinuerit, vltra dictam excommunicationem à suo quoque remotus officio carceri perpetuo mancipetur tantum facinus lamentatione cōtinua defleturus, alendus ad arbitrium nostrum,vel nostri Vicarij.Qui verò ex aliqua alia causa ausi fuerint aliquam monialem, vel sororem à suo monasterio abducere,vel egressam sine nostra licentia recipere, in dictæ excommunicationis latæ sententiæ, & quadriennalis carcerationis pœnas incidant.Si autem ij, qui dictas pœnas, vel aliquam earum incurrerint, capi nequiuerint,ex nunc,prout ex tunc,& è conuerso censeantur banniti à ciuitate,& diœcesi nostris præditis perpetuò,vel per tempus duplicatum carcerationis,quam sustinere debuissent respectiuè: etiam in euentum, in quem bannum frangerent,& capi possent, dies suos perficiant in carceribus pro suis continuè lugēdis excessibus:alēdi,vt supra. Volumus autem, quòd beneficiati excepto primo in

omnibus

omnibus alijs supradictis casibus delinquentes vltra pœnas prædictas, beneficijs omnibus ecclesiasticis, quæ obtinebunt, sint eo ipso priuati.

Accesserit, &c.] Intellige veteri constitutione hac accessum non solum ad parlatoria, verum etiam ad alios locos monasterij. est autẽ perturbare frequenti conspectu, colloquijs otiosis, & commercijs non necessariis detinere: dissidia monasterii alere: amatoria, ac turpia commemorare: docere, suadere, & similia. Quare incurrit pœnas constitutionis primò, qui accedit intentione mala, quæ sit peccatum mortale, etiam si non perturbet: deinde qui accedens cum maxima necessitate, aut etiam cum licentia notabiliter perturbat: tum qui ingreditur, &c.

Ingrederetur, &c.] Conc. Trid. sess. 25. ca. 5. de Regularibus. Ingredi aũt septa monasterii nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis: neque aliis vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterũ concedendi. Gregorius etiam XIII. Pont. Max. anno 1575. in Bulla, quæ incipit, Vbi gratiæ, reuocat omnes licentias concessas ingrediendi monasteria monialium: & sub pœna excommunicationis, cuius absolutionem sibi reseruat, prohibet, ne quis ingrediatur talia monasteria sub prętextu licentiarum à se, vel ab episcopis, vel ab aliis superioribus obtentarum.

Vel egressam, &c.] Conc. Trid. loco citato, Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire à monasterio, etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda. Et Pius V. anno 1566. in constitutione, quæ incipit, Circa pastoralis, inhærens decreto concilii præcipit clausuram districtissimè. Idemque anno 1570. edidit aliam constitutionem, quæ incipit, Decori, & honestati, contra moniales exeuntes à clausura, & dantes licentiam, comitantes, & receptantes. In qua declarat iustas causas egrediendi esse magnum incendium, & infirmitatem lepræ, aut epidemiæ, per superiores tamen monasterii, & episcopum probandas scripto, & ad tempus necessarium: deinde aliter egredientes, dantes licentiam, comitantes, & receptantes cuius-

cunque generis vult maioris excommunicationis latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo,abſque alia declaratione ſubiacere:à quò præterquam à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolui nequeât.

Contra Lenones. Cap. IX.

ODibilem Clericorum lenonum cauſam ſimul, & talium nephandum lucrum perſequentes ſtatuimus, quòd Clericus, qui lenocinium exercuiſſe, aut domum ſuam ad id præbuiſſe conuictus fuerit, vt in ea adulteriũ, ſtupũue fieret,aut de adulterio tractaretur, & ſi eo loco nihil admiſſum fuerit, ad ſoluendum vigintiquinque ducat. condemnetur, & ad ſtandum in carceribus ad arbitrium noſtrum.

Contra Clericos buffones. Cap. X.

INhibemus præterea, ne Clerici, & Religioſi in ſcœna veluti hiſtriones,mimi,buffones quacunque occaſione, vel cauſa prodeant: non comędias agant:non ſpectaculum faciant corporis ſui in publico, priuatoue loco:neque, vbi talia exercenda ſunt, ſeu,vt exerceantur,aulea,lignamina, tabulatas,ſcænas, aut ſimilia, illorumue ornamenta, & inſtrumẽta apparare, aut,ut apparentur,curare audeant. Inhibitioni autem noſtræ contrauenientes huiuſmodi quoties aliquid contrafecerunt, toties carceris pęnam incurriſſe ſciant.

Contra luſores. Cap. XI.

CAETERUM cum de omni verbo otioſo, ac de minimo quoque temporis momento in die diſtricti examinis rationem

rationem reddere teneamur, prohibemus Clericos omnes,& ecclesiasticas quascunque personas, ne taxillorum, cartharum,alearum,alijsue illicitis ludis se immisceãt: neque etiam pila in publico ludant, & præsertim cum laicis: neque ludentium fautores,spectatores,aut testes existant. quæ omnia cum omnibus sacerdotibus sunt indecora, & ordini clericali multum detrahentia, tum illis præcipue, quibus ecclesiastica dignitas, aut animarum cura est commissa. Qui verò contrafecerit, grauem pro arbitrio nostro imponendam pęnam non euitabit.

Videantur loca concilij Trid.annotata ad cap.18.tit. 1.

Contra eos, qui incedunt personati. *Cap. XII.*

CVm in omnes acerbe sit animaduertendum, qui personati bacchantes per ciuitatem effigiem Dei obumbrant,vt maiori postea licentia turpissima quæque attentare non erubescant: in illos verò acerbissimè, qui clericalis obliti decoris sic personati muliebribus choreis, pompisq; intersunt,quique ludis illicitis operam dant,& per vrbem, & vicos musica instrumenta pulsare,& cantare præsumũt. Ne igitur postac talia per ecclesiasticas personas,siue religiosæ,siue seculares sint, in graue animarum suarum periculum,ecclesiasticæ dignitatis dedecus, & ignominiam attententur,volumus irremissibiliter quoscunque,& quacũque dignitate fulgentes, si personatos, & transuestitos,seu mascaratos reperiri, aut quòd ita incesserint, probari contigerit,per mensem in carcere permanere:& per quoscunque officiales ad curiam tantum Episcopatus ducendos capi posse:& omnia illa vestimenta,& ornamenta,cum qui

bus

bus inuenti fuerint, ipso facto amissa esse:volentes etiam, comprehensoribus laboris sui mercedem condignam de bonis ipsius detenti duplicata carceris pęna eis,qui soluendo non sunt, exhiberi: & si sacerdotes fuerint,per tres sequentes menses, postquam è carcere egressi fuerint,à diuinis sint suspensi.

Contra accomodantes domos ad vsus illicitos. Cap. XIII.

EOs quoque,qui domos suas ad istud,vel etiam ad tripudia commodauerint,seu locauerint, pœna quinq; ducatorum in fabricam cathedralis nostræ Ecclesiæ conuertendorum mulctari volumus. Eadem pęna, & grauiori etiam, si nobis, aut Vicario nostro visum fuerit,teneri decernimus,etiam qui alijs religiosos habitus,& ecclesiastica paramenta,aut vasa, aut etiam proprios habitus commodauerint,quibus amicti per vrbem personati incedunt, vel aliàs secularium hominum pompas honorent.

Contra abutentes habitu religiosorum. Cap. XIIII.

QVumque ad Episcopi curã pertineat prouidere, ne quæ in christianæ religionis ludibrium tendunt, fiant omnino: & ciuiles leges grauissimas etiam pœnas similibus imponant, omnes eos laicos, qui personati publicè, aut priuatim religiosorum, seu religiosarum, necnon Episcoporum, aliorumue Prælatorumsiue verum, siue simulatum habitum detulerint,ipso facto excommunicatos esse decernimus, absolutionem nobis, aut Vicario nostro reseruantes.

Contra

Contra eos, qui in ludicris, & obſcœnis abutuntur ſacræ ſcripturæ teſtimonijs. C. XV.

ET quoniam nō minorem Deo, eiuſq; orthodoxæ religioni contumeliam affert perdita non nullorum audacia, qui ex ſacramentis, rebuſque fidei iocorum, ac riſus argumenta quærunt: nonnulli enim, qui turpes de amore, aliis ve ludicris ſermones in commeſſationibus, tripudiiſque, & in plateis habent, non expaueſcunt diuinæ legis teſtimonia adducere, verba Saluatoris noſtri, & ſcripturæ ſacræ pro temeritate ſua ad riſum trahendo, atque inuertendo, aliaque ſigna faciendo, more etiam interdum eorum, qui in eccleſijs verbum Dei populo enunciant. Idcirco nos de chriſtianæ religionis honore ſolliciti, omnes homines, qui in futurum talia dixerint, aut aliter quomodocunque iocoſis, ridiculiſque ſacramentorum, aut diuinæ legis nomina miſcuerint, ſeu talia, vel id genus alia dictauerint, ſcripſerint, impreſſerint, aut dictata, & impreſſa vendiderint, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrere volumus.

Conc. Trid. ſeſſ. 4. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum. Poſt hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur, & torquentur verba, & ſententiæ ſacræ ſcripturæ; ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationas, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos, mandat, & præcipit ad tollendam huiuſmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba ſcripturæ ſacræ ad hæc, & ſimilia audeat vſurpare: vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei iuris, & arbitrii pœnis per Epiſcopos coherceantur. hæc ſynodus. Nemini autem grauis videri debet excommunicationis pœna in conſtitutione poſita, cum non innodet, niſi eū, qui mortaliter in hoc genere peccarit.

Contra

Contra non dicentes officium. Cap. XVI.

MEminerit autem vnusquisque ordinis, aut beneficij ratione ad dicendum officium astrictus, si instigāte diabolo illud quotidie, vt tenetur, dicere omiserit, se furem, latronem, sacrilegum, & bonorum ecclesiasticorum occupatorem esse: fructus enim beneficiorum, si quæ possideat, nō facit suos. Igitur quū ad restitutionē ipsorū quilibet beneficiatus nō dicens officiū teneatur, Statuimus, quòd si quis in sacris constitutus, & non beneficiatus post duos menses, in non sacris verò, sed beneficiatus, aut in sacris, & beneficium cum cura, seu sine cura habens post sex à publicatione præsentium constitutionum, legitimo impedimento cessante, diuinum non dixerit officium, quod facile constabit, si examinatus super dicendo officium, & super capitulis, responsorijs, antiphonis, hymnis, lectionibus, orationibus, & quomodo duplex officium celebretur, & quomodo simplex, quomodo semiduplex, aut de quo sancto in illo die officium fiat, respondere nesciuerit, ita vt verisimiliter conijci possit, eum officium suum non esse solitum dicere, si beneficiatus sit, eo ipso à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum suspensus sit: quos tanquā iniustè perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum clericorum erogare teneatur: & tam diu suspensus maneat, quamdiu in ea ignorantia, & diuinum recitandi officium negligentia contumaciter permanserit; si per annum indurato corde post præfatos sex menses perstiterit, præsentis constitutionis tenore, quam vim monitionis sibi iuxta lateranēn. Concilij decretum faciendæ habere volumus, sit ipso iure beneficijs, quę possidet, priuatus: si verò non fuerit beneficiatus, pęnam carceris ipsofacto elapsis duobus mensibus incurrat: & alias etiam pęnas arbitrio

trio nostro infligendas, Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione redditurus rationem: & veh illis, quos semper malus exitus manet, vt experientia docemur. Nullus autem vnquam clericum officium suum dicentem à Deo derelictum vidit.

Pœnæ superioris constitutionis reducēdæ sunt ad eas, quas statuit Pius V. in Bulla edita contra non recitantes officium, quæ descripta est tit. 2. ad cap. 70.

Contra Apostatas: Cap. XVII.

QVàm peruersum sit hominum genus, qui suaui iugo Religionis sunt, Deique timore pospostio respicientes retro apostatæ facti sunt, facilè ex verbis beati Augustini elici potest, quum dicat, Simpliciter fateor charitati vestræ coram domino Deo nostro, qui est testis mihi super animam meam, ex quo Deo seruire cępi, quoniam sicut difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterio profecerunt, ita non sum deteriores expertus, quā qui in monasterio defecerunt. Igitur & nos vt dięc. nostram à tali cōtagioso morbo liberatam, prout iam hactenus Deo dante assecuti sumus, de cætero manuteneamus, monemus oēs, & singulos ecclesiarum, beneficiorum, vel officiorum quorumcunque Rectores, Comendatarios, eorum lo catenentes, & substitutos, eisque, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pęna vigintiquinque ducat. auri præcipimus, quatenus in termino dierum quindecim à die publicationis harum nostrarum constitutionum, omnes, & singulos religiosos apostatas, extra ordinem, & religionem propriam viuentes, vagabundos, ordinis cuiuscunque, ac etiam seculares, vt prædictum est, regulares forenses incognitos, & qui per nos, aut Vicarium nostrum appro

bati non fuerint, ab eorum ecclesijs, beneficijs, & officijs ecclesiasticis omnino licentiare, & expellere: nec eos, vel alios quoscunque deinceps ad Missas, diuina officia, vel ecclesiastica sacramenta, aut animarum curam celebrandũ, vel exercendum quocunq; modo admittere præsumant, etiam sub prætextu habilitationis, & licentiæ quorumcunque superiorum suorum.

BReue dans R. D. Episcopum pro adiuncto quibuscunque Iudicibus, seu executoribus à Se. Ap. seu summo pœnitentiario, seu camerario obtentis per diuersos diuersorum etiam mendicantium, & aliorum ordinum fratres, & professores, ac moniales, & sorores exeuntes ex domibus, & monasteriis, in quibus professiones emiserunt.

A Tergo

V. F. Ioanni Matthęo Episcopo Veronen.

Intus

PAVLVS. PAPA. III.

VENERABILIS FRATER Salutem, & Apostolicam ben. Exponi nobis nuper fecisti, quòd licet aliàs fe. re. Clemens Papa 7. prædecessor noster cum accepisset in ciuitate, & tua dięc. Veronen. sæpius contigere, quòd diuersi diuersorum etiam mendicantium, & aliorum ordinum fratres, & professores, ac moniales, & sorores, vt domos, & Monasteria, in quibus professi erant, exirent, & aliis diuersis occasionibus diuersas tam ab eodem prædecessore, quàm eius maiori pœnitentiario litteras impetrabant, & illarũ executionem iudicibus eis plus, quàm iustitia pateretur fauorabilibus vt plurimum committi obtinebant, & Iudices præfati quandoque literarum prædictarum for-

ma

ma non seruata,& quandoque narratis in illis minus legiti mè, aut nullatenus verificatis, non minori malitia, quàm ignorantia ad illarum executionem ex abrupto procedebant:diuersas etiam sententias,censuras,& pœnas interdũ fulminando in maximum religionis dedecus,& christi fidelium illarum partium scandalum, fraternitati tuæ, vt donec Ecclesię Veronen. cui etiam tunc præeras, præesses, in omnibus,& singulis literis tam ab eodem prædecessore, quàm à dicto pęnitentiario pro tẽpore emanatis, per quas quomodolibet aditus aperitur religiosis,aut monialibus ciuitatis, & diçc. prædictarum, cuiuscunque ordinis ab eorum monasterijs exeundum,tu ita Iudicibus,seu executoribus ad hoc per ipsas literas deputatis adiunctus esse censereris, & esses, vt ad ipsarum literarum executionem absque te,vel Vicario tuo,etiam si in ipsis litteris aliter diceretur,nullo modo procedere valerent, motu proprio statuerit,& ordinauerit, & eis nullo modo derogari posse voluerit,prout in ipsius prædecessoris in forma breuis confectis literis plenius continetur.Nihilominus cum per importunam petentium instantiam sæpius similes,& alię etiam camerarij nostri literæ officium ordinarij, quod summa diligentia exercere satagis, impedientes concedantur, Iudices illarum vigore deputati non modo te in adiunctum admittere recusant, verùm etiam prætextu censurarum, & pœnarum in eisdem litteris aliquando contentarum contra te ad illarum incursus declarationem procedere comminantur, in tuæ iurisdictionis ordinariæ vilipendium,& mandatorum apostolicorum contemptum. Quare nobis supplicari fecisti,vt tibi in pręmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur tuum in præmissis sincerum animum perspectum habentes,supplicationibus huiusmodi inclinati tibi,quòd donec eidem Ecclesiæ præfueris,vt præfertur,similibus tam à no

 bis

bis, quàm à Pęnitentiario, & Camerario nostris prædictis pro tempore emanatis, seu aliàs, per quas tui ordinarij officium quouis modo, quo ad præmissa impediri videatur, nisi in illarum executione, tu iuxta ipsius prædecessoris litterarum tenorem vnà cum illarum iudicibus, seu executoribus tanquam adiunctus interueneris, aut ad interueniendum requisitus per te, quo minus interuenias, steterit, etiã si per eas contra inobedientes quoslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliæque ecclesię sententię, censuræ, & pęnæ fulminētur, aut illas fulminandi potestas tribuatur, contra præsentium tenorem minime parere tenearis, & ob illarum non paritionem aliquas sententias, cẽsuras, seu pœnas minime incurras, auctoritate prædicta, ex certa scientia concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentibus per eosdem pęnitentiarium, seu camerarium, etiam si illarum totus tenor de verbo ad verbum exprimeretur, nullatenus derogari posse: ac ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam, etiam Pęnitentiario, & Camerario nostris prædictis, quauis auctoritate sciẽter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis ipsorum Pœnitentiarij, ac Camerarij facultatibus, & iurisdictionibus, ac alijs, quæ idem Clemens prædecessor in literis tuis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die 3. Februarij M D XXXV. Pontifi. nostri Anno Primo. Blosius.

Contra vagabundos non legitimantes dispēsationes suas. Cap. XVIII.

AD hæc quoniam nonnulli animarum suarum salutis immemores in christi fidelium scandalum, & religiosorum

gioſorum pernicioſum exemplum ſecum canonicè diſpen ſatum fuiſſe mentiuntur, quòd habitum regularem proijcere,& habitum clericorum, ſeu laicorum geſtare poſſint, ſeu per falſas ſubreptitias,& obreptitias preces à Sãctiſſimo D.N.Papa,vel eius legatis, aut ſacra pœnitentiaria dolosè,& mendaciter diſpenſationes,& habilitationes huiuſmodi impetraſſe habitum regularem deponẽdi, & clericorum ſecularium, ſeu etiam laicorum aſſumendi, Ideo etiã virtute litterarum apoſtolicarum in forma breuis Sãctiſſi. D.N.Papæ:per quas nos pro adiuncto, quibuslibet literarum apoſtolicarum datis executoribus in ciuitate, & diœcẽ. Venorẽn. deputauit, & aliàs omni meliori modo,quo poſſumus,monemus omnes,& ſingulos,qui habitum regularem depoſuerint,& diſpenſationes huiuſmodi obtinuiſſe prætendunt,primo,ſecundo,tertio, & peremptoriè, trina canonica monitione præmiſſa, quatenus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, ſi qui nunc ſunt, infra quindecim dierum ſpatium à publicatione harum Conſtitutionum computandorum, quos verò eſſe continget in futurum, infra quindecim dies à die,quo tales diſpenſationes habuiſſe prætendẽt, coram nobis,aut Vicario noſtro compareant: dictaſque ſuas prætenſas diſpenſationes, & habilitationes cum proceſſibus, & abſolutionibus inde ſecutis exhibeant:,& quòd veritate, & iuſtitia fulciantur, canonizare procurent: aut ad monaſteria, vnde egreſſi fuerint,& ſuperiorum ſuorũ obedientiã redeãt.

De bannitis non recipiendis. *Cap. XVIIII.*

ET quia nõ ſine graui animi nr̃i moleſtia intelleximꝰ, ſępè contingere,quòd nonnulli à ciuitate noſtra,& territorio

ritorio Veronen. aliàs banniti, etiam quandoque ad alia ſcelera commodius perpetranda, immunitatis eccleſiaſticę clypeo abutentes ad diuerſas eccleſias, & alia loca eccleſiaſtica ciuitatis, & dioec. prædictarum diuertunt: ibique in grauem Dei offenſam, Dominorumque temporalium vilipendium, ac plurimorum perturbationem, & periculum degunt, & morantur. Nos igitur, ne vbi peccatorum eſt poſtulanda venia, ibi peccandi detur occaſio, prout noſtro paſtorali incũbit officio, prouidere volẽtes vniuerſis, & ſingulis Archipresbyteris, Presbyteris, & clericis tam ſecularibus, quàm quorumcunque etiam mendicantium ordinũm regularibus, cæteriſque perſonis eccleſiaſticis quacũque etiam dignitate fulgẽtibus, in eiſdem ciuitate, & dięc. Veronen. conſiſtentibus ſub excommunicationis ſingulariter in ſingulos, in verò conuentus, & collegia quæcunque in his forſan delinquentia, ſuſpenſionis à diuinis, & in ipſorum tam ſingularium, quàm conuentuum, & collegiorum eccleſias, monaſteria, & capellas, interdicti eccleſiaſtici pœnis inhibemus, ne de cætero bannitos huiuſmodi, ſiue laicos, ſiue clericos, ex quacunque cauſa, & ſiue in perpetuũ, ſiue ad tempus banniti fuerint, in eccleſijs ſuis, illarumue domibus, ſeu alijs locis eccleſiaſticis ciuitatis, & dięc. prædictarum recipere, & admittere, ſeu retinere, vel permittere publicè, vel occultè quoquomodo præſumant.

Contra parentes, qui filios infantes in lecto intra annum tenent. Cap. XX.

MOneri mandamus omnes, & ſingulos parochianos vtriuſque ſexus ſub cura quorumlibet presbyterorum ciuitatis, & dięceſis noſtræ degentes, quòd non audeant filios, vel filias tam proprios, vel proprias, quàm alie-

nos

nos, vel alienas saltem per annum vnum à die natiuitatis eorum secum in lecto ad lactandum, seu dormiendum tenere, & collocare, ne negligentia, vel culpa eorum suffocentur, vt sæpe contigit: vnde ipsimet parentes homicidij rei inueniantur; quod nec eis licere arbitramur, sub prætextu frigoris, quum non sint facienda mala, vt euitetur aliud malum: & possit aliter prouideri, si ponatur tabula aliqua intermedia, ne possit infans opprimi: & tantò plus, quantò ętas illa est patiens frigoris. Quem casum nobis, vt pręmissum est, specialiter reseruamus.

Contra blasphematores: & de modo corrigendi tales. Cap. XXI.

QVum homines linguam cogitationis interpretem acceperint, vt ea potissimum Deum, eiusque sanctos præcipua religione laudando quotidie magnificare, & glorificare deberent, valde impium est, vt scelerata quorundam ora in ipsum cœli, & terræ Creatorem, necnon vnigenitum eius filium Dominum nostrum Iesum Christum, Almamque eius genetricem, sanctosq; aliós ita passim aperiant, vt plerique volentes sibi fortis, & animosi nomen in populo vendicare, non prius id se assequi posse arbitrentur, quàm si ad omne verbum Deo Christo, eiusque matri, & sanctis maledicere, inque illos verba contumelijs plena effundere didicerint: contra quos, iudęis sanè deteriores, nam illi saltem integrum D. N. Iesu Christi corpus reseruarunt: at hi frustatim incidere membra tam iniquè non verentur. scriptura clamat, Domine maledicti erunt, qui contempserint te: & condemnati erunt omnes, qui blasphemauerint te. & iterum, Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit

nomen

nomẽ domini, morte moriatᷣ: lapidibus opprimet eũ omnis populi multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Vt, igitᷣ eorundem sceleratorũ ora occludantur, diuinaq; maiestas à tanta iniuria vindicetur, mandamus omnibus, & singulis Prioribus, Guardianis, Prædicatoribus, Plebanis Archipresbyteris, vt ad minus quater in anno infra Missarum solennia festiuis diebus detestando hoc scelestissimũ blasphemiæ vitium populo notificent: & ad memoriam reducant etiam pœnas contra tales per illustrissimum Dominium nostrum Venetorum aliàs publicatas, & inferius recapitulatas. Ad hortenturque omnes ad persequendũ, & accusandum huiusmodi scelestos, & sacrilegos blasphemos: & etiam ipsi tales persequendo, & accusando sciant se obsequium Deo præstituros, maximè cum vtrunque efficere possint absque vitæ corporalis periculo, & sine metu irregularitatis, prout aliàs Sanctiss. D. N. nobis supplicantibus viuæ vocis oraculo concessit, vltra indulgentias aliàs in concilio Lateranen. concessas omnibus, & singulis prædicta pro diuini nominis reuerentia, & honore procurantibus: in quo etiam inter alia cauetur, quemadmodum in foro conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque grauissima pœnitentia seueri confessoris arbitrio iniuncta possit absolui. Admoneant insuper sacerdotes parochianos suos tres esse bonos modos corrigendi hoc blasphemię vitium, primum, si parentes corrigant filios, & nutriant benè eos, ne iurent, aut blasphement; iurantes autem, & blasphemãtes castigent. Secundum, vt quilibet ponat sibi aliquam legem, vel de mordendo sibi linguam, vel de osculando terram, vel de faciendo certam eleemosynam quoties eum blasphemare contigerit. Tertium, vt Domini temporales, siue Rectores communitatum faciant ordinationes, & statuta cum pœna contra blasphemantes.

POENAE contra blaſphemos per Illuſtriſſimum Dominium conſtitutę ſunt huiuſmodi, videlicet, quòd Quicunq; cuiuſcunq; conditionis, & ſtatus auſus fuerit blaſphemare ſantiſſimum Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti nomen, eiuſq; glorioſiſſimæ virginis matris Mariæ; vel eis maledicere, ſeu in ipſorum detractionem, & vilipendium iniurioſa verba dicere, ſiue particolariter, ſiue generaliter ſub Curiæ cæleſtis, vel alio ſimili nomine, ſiue apertè, & expreſsè, ſiue tacitè, & ſub aliquo verborum colore, vltra alias pœnas per ſtatuta ciuitatum, & locorum, in quibus id accidet, ordinatas, incidãt irremiſſibiliter in pœnam librarum quadringentarum paruorum: ac ſtãdi per annum continuum in carcere: & deinde per annos quinq; in exilio. Et illis, qui in ſimilibus delinquentes mendici, ſeu vagabundi, aut aliàs pauperes ſoluendo non eſſent, pecuniaria ſupradicta in aliquam pœnam corporalem, prout Rectoribus locorum videbitur commutetur, carceris, & exilij pœnis prædictis nihilominus firmis manentibus. Et ſi qui ex prædicta cauſa in banno, vt præfertur, poſiti banna ipſa contemnerent, & præterirent, poſſint ab omnibus capi, & ad carceres duci: lucrenturque, qui eos capiunt, tantam ſummam, quanta fuerit illorum condemnatio pecuniaria. ipſique delinquentes ſex menſibus in carcere teneantur, & deinde priſtinnum bannum continuare teneantur.

ET ſi viſum fuerit Rectoribus prædictis, quòd perſonæ delinquentes eſſent maiori animaduerſione dignæ, poſſint illam pro perſonarum qualitate, enormitate delicti, locoque, & tempore, & alijs circunſtantijs eorum arbitrio illam augere, non tamen diminuere. Et his, qui ſemel condemnati, vt præfertur, iterum deliquiſſe comperti fuerint, pœnæ prædictæ per omnia duplicentur. Et ſi tertiò recident, tànquam incorrigibilibus, & impœni-

tentibus omnia triplicentur.

ACcusatores verò, & denuntiatores prædictorum vltra id, quòd occulti tenebuntur, præterea si voluerint, medietate pecuniarum per delinquentes, vt prefertur, soluendarum præmiabuntur. Et si deliquentes ipsi soluendo non erunt, soluetur de publico. aliàs verò, qui sanctis Dei maledixerint, & blasphemauerint, puniantur per Rectores prædictos, prout eis conscientia dictabit.

Ad tollendum hoc vitium instituta est societas nominis Dei. Pius item V. blasphemis constituit pœnas non minus graues supradictis in Bulla, quæ incipit, cum primum Apostolatus.

Interpretatio, & quædam generalis declaratio super omnes pœnales Constitutiones. Cap. XXII.

ET quia cupientes, vt omnes, quos præsentes nostræ constitutiones concernunt, non ex tristitia, aut necessitate, vel metu pœnarum, sed Dei, & virtutis amore ad ipsarum constitutionum obseruantiam inuitarentur, & ab earum transgressione cauerent, paucis admodum earum (& id quidem coactè) pœnas adiecimus: ne tamen, quos Dei timor à malo non reuocat, eas ducere audeant in contemptum, nobis plenariam facultatem reseruamus præsentium nostrarum, & cuiuslibet earum transgressores, & inobseruatores quoslibet per censuras Ecclesiasticas, carceris, exilij, & per alias etiam pecuniarias pœnas puniendi, mulctandi, & corrigendi, prout delicti, personæ, temporis, & alijs qualitatibus benè pensatis nobis, secundum Deum visum fuerit expedire. Volumus autem, quòd in singulis constitutionibus, vbi apposita est certa pœna, intelligatur

pœ-

pœna ipſa pro delictis ibidem expreſſis. vbi verò pęna expreſſa non eſt, ſed à iure impoſita: & item vbi acciderent delicta habentia pœnam expreſſam non ſimpliciter, ſed cum alio, vel alijs delictis, aut quum iterato commiſſa, vel propter circunſtantias aliquas aggrauata fuerint, ſit vltra expreſſam præterea pœna arbitraria ſecundum perſonarum, rerum, temporum, locorum, & ſcandali qualitates. Et ne paſſim quotidie monitoria, & edicta circunferri, & publicari oporteat, volumus, quòd in omnibus caſibus, pro quibus ſiue de iure communi, ſiue per has noſtras conſtitutiones impoſita ſit delinquentibus certa pœna, vbi fortaſſe de iure communi ad ipſius pœnæ incurſum monitio etiam iterata, ſeu interpellatio, & requiſitio aliqua requireretur, ipſa præſentium conſtitutionum publicatio ſufficiat: ita quòd in poſterum delinquentes prædicti abſque vlteriori monitione, interpellatione, requiſitione ue aliqua pœnas prædictas ipſo facto incurrant.

AD hæc, quia pro diuerſis rationibus, cauſis, & affectibus iuris, vel facti etiam poſt perpetrata delicta, & incurſas pœnas, propterea adhuc iuris communis diſpoſitione, plerunque declaratoriam ſententiam deſuper ferri, &, vt feratur, expectare opus eſt, quo fit, vt inter has moras detur ſæpiſſime delinquentibus ipſis fraudem legi faciendi facilitas, & impunitatis occaſio, Statuimus, vt in omnibus, & ſingulis caſibus prædictis, in quibus ad quemcunq; effectum, vt prædictum eſt, declaratoria ſententia requireretur, ſufficiat præſens harum conſtitutionum publicatio: quam vim validæ, & ſolennis ſententiæ declaratoriæ, ex nunc, prout ex tunc, & è contra in ſingulis caſibus, verè, & non ficte habere, & loco declaratorię huiuſmodi eſſe volumus, & decernimus; ita quòd ad nullum penitus iuris, vel facti effectum vlterior declaratoria ſentẽtia ſit neceſſaria.

Sed quandocunque per nos, ſeu Vicarium noſtrum in ſimilibus declaratoriam ſententiam promulgari contigerit, illa ſit, & eſſe iudicetur dumtaxat pro abundantiori cautela, & ſolemnitate; maiorique ipſorum delinquentium confuſione, non autem ex neceſſitate prolata. Et quia interdum ſuperius contra perſonas eccleſiaſticas delinquentes expreſſa eſt pęna carceris, in ſingulis caſibus prædictis uolumus nihilominus arbitrarium eſſe, an eiuſmodi delinquentes pro definito tempore in monaſterium aliquod ad agendnm pęnitentiam poni: an verò, ſi de fuga ſuſpecti ſint, in carcerem detrudi debeant.

DE CONSTITVTIONIBVS.

TITVLO DECIMO.

Quòd omnes habeant volumen constitutionũ: & de illis publicandis, et obseruandis. Cap. I.

NE circa istas nostras constitutiones possit ignorantia allegari, & vt commodius haberi possint, eas imprimi curauimus. Quapropter statuimus, & mandamus omnibus, & singulis ecclesiarum Rectoribus, & eorum vices tenentibus ciuitatis, & diœc. nostræ Veron. in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pęna x. lib. Veron. quatenus quilibet eorũ infra duos menses post publicationem præsentem hanc constitutionum nostrarũ editionem habeat, & habere procuret. Et cum non satis sit eas penes se habere clausas, & reconditas, eisdem pręcipimus, & mandamus, quatenus ipsa pręcepta, & ipsas cõstitutiones sæpissimè infra annum perlegant, etiam pro faciliori earum intelligentia consilium sacerdotum, sociorũ, & vicinorum, si eguerint, petere non erubescentes: quos ẽt monemus, & exhortamur harum constitutionum nostrarum non solum auditores, seu lectores tantum studeant esse, sed etiã factores: sicq; in illis se se exerceant, & studeant, vt ea adimplere, & recto sensu populo declarare valeant. Quas etiam semel ad minus in anno per sacerdotes suis populis pluribus vicibus declarari mandamus, vt nulli ab earum obseruatione propter ignorantiam se excusare possint, illis exceptis, quas tanquàm ad clericos, & ecclesiasticas personas, & eorum statum, & vitam solum spectantes po-

populo aliter intimandas esse non expedire arbitramur. Quum potius ex earũ intimatione scandala, quàm aliqua audientium vtilitas,& ędificatio,facilè resultarent. Contra autem huius mandati nostri transgressores,& verisimiliter non obseruasse suspectos,& in præmissis negligentes, si Vicarii fuerint, qui dictas constitutiones non habere fuerint comperti, vltra pęnam prædictam x. lib. præterea nullatenus ad seruiendum in aliquo beneficio admittentur. Rectores autem ipsi, si in hoc reperti fuerint culpabiles, grauiori etiam pęna punientur.

Non modò Rectores ecclesiarum, ac eorum Vicarios, verùm etiam singulos sacerdotes, diaconos, ac subdiaconos nostræ ciuitatis, ac diœcesis sub eisdem pœnis obligamus ad habendum librum harum constitutionum per nos correctarum,& ad eas legendas,atque intelligendas.

Quomodo sit procedendum, vbi non reperietur prouisum per expressam constitutionem. Cap. 11.

QVum non sit dubitandum esse euenturos plures casus,quàm sunt statuta,quos omnes comprehendere impossibile nobis esset,& quia interdum aliquid valde vtile statuitur,sed ex superueniente aliqua iusta causa, emendatione indiget opportuna,in omnibus nostris constitutionibus tam pręsentibus,quàm præteritis,& futuris addendi, mutandi,corrigendi,alterandi,declarandi, interpretãdi, & ipsis nõ obstant.cũ subditis nostris,prout æquũ,vel iustum fuerit,rerũ,personarũ, & temporũ qualitatibus considera tis dispensandi ordinariam nobis reseruamus, & relinquimus plenariam potestatem.

Ex hac constitutione plenum est hunc librum ita esse à Paulo III. approbatum, vt ex eiusdem concessione liceat addere, mutare, corrigere, interpretari, prout videbitur opportunum.

Declaratio superiorum constitutionum quoad personarum comprehensionem.
Cap. III.

QVia non solum in seculares, ecclesiasticasque personas distinctus est Christianus populus, & ipsi etiam ecclesiastici non solum in regulares, seu religiosos, secularesque distincti sunt, sed præterea etiam tam secularium clericorum, quàm regularium, seu religiosorũ diuersi sunt ordines, diuersique gradus, ac etiam ecclesiarum, & piorũ locorum diuersę qualitates, diuersęque sunt denominationes, quas quidem differentias omnes propriis nominibus in singulis constitutionibus exprimere, & expressas toties repetere non solum fastidiosum, sed etiam absurdum videri potuisset, Statuimus, & volumus, vt congruis locis congruè cuncta referendo, ita singulę constitutiones seculares, & laicos, ac ecclesiasticos seculares, siue regulares religionis cuiuscunque, cuiusuis status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, & quacunque, etiam pontificali præfulserint dignitate, nec non etiam Cathedralem nostram Veron. & collegiatas, ac parochiales ecclesias, illarumque Vicarias, ac Monastoria, Hospitaliaque, & alia pia loca quæcunque, illorumque, & illarum Collegia, Conuentus, Congregationes, etiam eam, quæ cleri intrinseci Sancta Congregatio appellatur, Confratriasque, & demum tam communiter, & collegialiter, quàm aliàs singulares singulariter personas quascunque, & demum quæcunque subiecta comprehensibilia tam de iure communi, quàm vigore priuilegiorum, facul-

facultatum,& indultorum nobis à fede apostolica concesſorum,prout ſuppoſita materia requiret,compræhendant, & ligent, ac ſi de ipſis ſingulis perſonis, & locis omnibus nominatim, vt præfertur, ſpecifica, & etiam per propria nomina indiuidua mentio facta fuiſſet.

Vt in omnibus ſemper intelligatur excepta authoritas ſedis Apoſtolicæ. Cap. IIII.

ITEM Apoſtolicam Sedem,& Sanctam Romanam Eccleſiam (vt par eſt) reuerentes proteſtamur,& volumus, quòd tam in conſtitutionibus illis,in quibus certorum caſuum abſolutio,ſeu alia prouiſio nobis reſeruatur,quàm in omnibus alijs,in quibus,& quoties forſan fuiſſet faciendũ, ita ſemper intelligatur Domini Noſtri Papæ, & ſedis prædictæ, & ab illa ſuper nos facultatem habentium authoritas,& reuerentia excepta,& reſeruata,ac ſi in ſingulis conſtitutionibus ſingulariter, & expreſsè reſeruatio, & exceptio huiuſmodi facta fuiſſet.

FINIS.

AVGVSTINI VALERII EPISCOPI VERONAE

Libellus ad Clerum suum, cur constitutiones ipse hactenus non ediderit.

PROOEMIVM.

OCTAVAM iam habuimus synodum Deo optimo maximo bonarum omnium rerum auctore adiuuãte. Huiusmodi congregationum apertissimum est auctorem fuisse Spiritum sanctum, cùm in actis Apostolorum Iacobum Apostolum seniores conuocasse Hierosolymam legerimus. Quod salutare institutum ab eodem Spiritu sancto edocta Sancta Mater Ecclesia proximis annis etiam in sacrosancto Concilio Tridentino ita probauit, vt constitutis pœnis Episcopos ad synodos singulis annis celebrandas impulerit. Paruimus nos, vt debuimus, Spiritui Sancto: obtemperauimus, vt ad nos maximè pertinet, communi fidelium omnium, quæ nunquàm errat, Matri ecclesiæ. Concilium Tridentinum, quo reformationis Ecclesiæ semina continentur, vt polliciti sumus, hac in re seruauimus. Proxima, dixi, fuit octaua synodus charissimi fratres, & coadiutores in Christo amantissimi. Mihi certè nullus dies die synodi solet esse iucundior: nullus, qui in maximis molestiis, quas tanti muneris cura affert, animum meum magis consoletur, & recreet. Nam eo die videor videre oculos meos, aures meas, manus meas, pedes meos. Cùm enim multis de causis mihi non concedatur, vt opus esset, Verona discedere, & singulorum vitam, & mores inquirere, inquiritis vos fratres, cognoscitis vos multiplices animarum morbos, iustas piorum hominum querelas auditis. vestra

opera, vestris vigilijs, vestris itineribus, laboribus, atq; etiã periculis mihi partem sollicitudinis adimitis, vel certè subleuatis. Vos etiam, vt mihi persuadeo, non minimam voluptatem eo die percipitis tùm ex meo aspectu (scitis enim quo animo ergà vos sim) tùm maximè, quia alludentes ad versiculum Dauidis dicitis, ECCE quàm bonum, & quàm iucundùm conuenire fratres in vnum, conuenire ad reddendum gloriam Deo, ad parẽdum Spiritui sancto, ad obediendum Sanctę Matri Ecclesiæ, ad consulendum de ijs, quæ spectant ad salutem animarum; Conuenire veluti nauigantes in eadem naui maximis, & varijs fluctibus agitatos ad aspiciendum portum, ad sumendos spiritus, ad mutuò se consolandos, ac demùm, vt medici corporum facere solent, conuenire medicos animarum à DEO dilectos ad consulendum de multiplicibus, & illis quidem valde occultis animarum morbis, ad medicinas excogitandas, ac proponendas.

Cur autem, cùm singulis annis, ex quo ipse Episcopus sum factus, synodus sit celebrata, & à nobis sint habiti longi sermones ad me ipsum, & ad vos excitandos, nullam constitutionem nomine meo ediderim; cùm ad aures meas peruenerit, esse nonnullos bonos sacerdotes, qui hoc meũ consilium non satis probent, illis huius facti rationem reddendam iudicaui. Ego, verè vt dicam, superuacaneum putaui, cùm Clerus hic noster abundet præceptis, & constitutionibus, me magistrum agere, & ea nomine meo edere, quæ multis iam annis edita sunt, atque etiam magna ex parte obseruata. Habuit fratres, vt scitis, hæc Veronensis Ecclesia maximo DEI beneficio multos sanctos Episcopos. Euprepius à principe Apostolorum D. N. I. CHRISTI Vicario in hanc ciuitatem missus triginta quinque Episcopos sanctos successores habuit: inter quos fuit B. Zeno martyr, quẽ vt patronũ pręcipuũ huius Eccle-

siæ agnoscimus. Sanctorum hominum opera, vera pietate, & preclaris documentis imbutam ciuitatem, & vniuersum hunc populum, est credibile. eorum labores perire nunquàm permisit Dominus. Incorruptum, & ab omni hæretica labe liberum conseruauit clementissimus pater Veronensem populum.& post illos,quos dixi,prefecit huic Ecclesiæ multos doctrina, & pietate insignes Episcopos, quos commemorare, non est necesse. Io. Matthæus Gibertus certè præteriri non debet; quandoquidem is fuit, qui & constitutiones huius Ecclesiæ scripsit,atque edidit, & laborem mihi scribendarum nouarum in hunc vsque diem ademit. Illæ, quas bonus Episcopus constitutiones Pauli III. Pont. maximi auctoritate confirmatas nostro Clero tradidit; illæ, quas sancti Episcopi,qui in Concilio Tridentino fuerunt,legere,laudare,& ad vsum reuocare in suis Ecclesijs fatebantur:illæ, ex quibus fortasse auctores prouincialium conciliorum, quæ maximo cum fructu, & non minima cum eorum,à quibus habita sunt, laude sunt celebrata,atque etiam edita,non pauca excerpserunt, Veronensi Clero satis esse possunt ad disciplinam ecclesiasticam retinendam,atque etiam augendam. Verùm fratres, inde nostri Cleri calamitas, inde bonorum sacerdotum querela, inde piorum hominum,& mei etiam dolores, ac lachrymæ, quòd laudabiles constitutiones non omninò obseruentur: externi industria Giberti fruantur potiùs, quàm nos, quibus in primis ipse consulendum putauit: externæ nationes,& alieni populi vberiorem fructum, quàm Veronensis populus, quem ipse paterno amore dilexit, nostrorum sacerdotum culpa percipiant. Quid igitur? constitutiones nullas edidi, vt actum non agerem: post optimum magistrũ discipulus adhuc,vt ingenuè fatear,non eũ me esse profiterer,qui non sum:& ne in uanitatis, & ostentationis suspicionem inciderem. Fuit etiam alia causa, quã-

obrem non solùm nihil ediderim, sed etiam in spiritu lenitatis (vt verbis Apostoli vtar) ambulauerim; quia speraui pro ea, quae de Veronensi Clero concepta est, opinione, & recta disciplina, fore, vt nihil fratres mei commissuri essent, quod animum meum perturbaret, & meum ingeniū ad lenitatem satis propensum immutaret: in quam sententiam confirmabar magis tùm ratione, tùm exemplis. Sic.n. mihi persuadeo (quod optimis, & multarū rerū vsu doctis hominibus compertū esse audiui) fieri vix posse, vt terroribus, minis, aut etiam pęnis sacerdotes in vijs Dñi progrediantur, & inuiti consulant populorum saluti. Sacra, sublimis, & diuina res est Sacerdotiū. Ministri Dei, internuntij, populorum duces, Angeli appellamur. Ad hos maximè pertinet, vt B. scribit Dionysius Areopagita, cœlestem augere hierarchiam; animas in cœlum ducere, illas DEO coniungere; numerum filiorum DEI propagare, sanctissima sacramenta administrantes multos hæredes cœlestis regni ad æternam illam hęreditatem obtinendam incitare, atque impellere. Rerum admirandarum, quas commemorauimus, quis doctorem, aut effectorem diceret timorem? Amor fratres, amor, non timor bonum efficit sacerdotem; amor DEI, non amor sui, amor animarum, quas CHRISTVS precioso sanguine redemit, non radix malorum omnium cupiditas. Quamobrem septem annorū spatio hoc in primis studui, vt præclaram meam erga vos voluntatem patefacerem: vt omnibus ad me pateret aditus; vt quibus in rebus possem, studijs vestris obsequerer, hoc in primis propositum habens, vt beneuolentia mea erga vos, & multis officijs prouocati me amaretis, & amaretis in CHRISTO D. N. hoc est à mea sententia nunquàm recedentes procuraretis mecum gloriam DEI; portaretis alacriter sequentes CHRISTVM mecum crucem, hoc est siuè per infamiam, siuè per bonam famam

Deo seruiretis, & Veronensisq; Cleri existimationem non modo tueremini, sed etiam augeretis: & hanc meam rationem vtilitatem non minimam attulisse huic Ecclesiæ animaduerto. Amor enim meus optimus persuadendi artifex amorem, atque etiam obedientiam peperit. Fratres meos charissimos non laudo: Deum potius omnium bonorum largitorem laudandum existimo: eique mihi perpetuò gratias habendas intelligo, qui cùm onus grauissimum, meisque humeris longè impar mihi imposuisset; fideles, & strenuos administros non paucos mihi dederit: quorum consilijs, atque opera adiutus miserabiliter non caderem, me Episcopo, sanctorum Episcoporum, qui antè me fuerunt, labores non perirent. Sunt è fratribus meis Canonicis; sunt è Sacerdotibus vrbanis; sunt ex illis, qui ruri habitant, quos optimos coadiutores meos agnosco, & diligo: quorum doctrina, & multarum rerum vsu, & vitæ sanctitate magnam sollicitudinis meæ partem mihi ademptam sentio. Nullum enim mihi relinquunt locum ipsos hortandi ad munus suum præstandum, aut consulendum saluti illarum animarum, quę eorum fidei concreditę sunt. Sed vt in rebus humanis solet accidere, vt res non malæ perniciem sæpè afferant abutentibus, quemadmodum vinum immoderatè sumentibus solet accidere, potio illis vt obsit, ita ad aures meas peruenit, lenitatem hanc meam, ne dicam facilitatem, parere in quibusdam licentiam, & alere multorum negligentiam. Quam rem charissimi fratres non sine maximo dolore audiui: nihil enim in omni vita mea mihi magis curæ fuit, nihil magis extimesco, quàm ne, me Episcopo, Veronensis Cleri existimatio minuatur, & hic populus Dei in dies magis non proficiat: quod nihil est aliud, quàm recedere ab illa disciplina, quam optimi Episcopi instituerunt. Quid agam fratres, cùm & difficillimum sit mutare ingenium, & mihi etiam futurum

mole-

molestissimum? Lugebo primùm, & deplorabo calamitatem meam, quando ex hoc Clero sunt aliqui, qui tolerantia mea deteriores sunt facti; qui DEVM minimè timentes negligunt omnia, quę ad eorum officium spectāt; indigni ministri, sacerdotes tantùm nomine canonicas horas non persoluunt: tempus illud DEO debitum dissipant; qui rarò admodùm celebrantes dignitatis suæ obliti sacerdotis nomen dedecorant; oues suas fugientes lac, & lanam auidissimè quærentes, perturbatores potius pacis nostræ, quàm coadiutores, sibi ipsis aditum faciunt ad perpetuam mortem. Hic noster luctus oratione temperandus est, vt Dominus mutet corda eorum, vt redeant in viam; se ipsos agnoscant; dignitatem, & præstantiam sacerdotij considerent; salutis propriæ, & aliorum rationem habeant. Verùm vt ij, de quibus dixi, sint inexcusabiles, & ipse coram DEO omnibus rationibus possim ostendere, me factum esse formam gregis, non tanquàm dominantem in Clero, & diuina auctoritate abutentem; sed veluti patrem illius pastoris omnium pastorum, qui dixit, DISCITE à me, quia mitis sum, & humilis corde, exemplum hac in re, quatenus humana infirmitas passa est, imitatum, ponenda antè oculos duxi quædam documenta è sacris scripturis, & ex Sanctissimorum hominum libris excerpta: quibus omnes nostri Cleri ordines, & pauci ex vobis, qui mihi lugendi, atque etiam scribendi hoc tempore materiam præbent, errorem suum cognoscant: qui verò in ecclesiastica disciplina eruditi DEO fideliter seruiunt, in sententia confirmentur, & videant diligenter, ne cadant: me, qui eorum opera, consilijs, & excitatione maximè egeo, vt adhuc fecerunt, adiuuent. Libellum autem hunc nostrum, quem necessariò scribimus, quia sermones nostros non profuisse quibusdam audiuimus, vt illis, & omnibus voluntatem nostram, quæ DEI voluntatem hac in re sequitur, explicaremus,

Paro-

Parochis, Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis, vt testimonium lenitatis, & amoris nostri erga hunc Clerum iterum, atque iterum legendum proponimus. Aperiemus autem à principio morbos, quibus aliqua huius Cleri pars laborat: deindè explicabimus remedia. Omittemus commemorare humani generis calamitatem: & quòd varijs peccatorum generibus contaminati omnes sumus, cùm non sit qui faciat bonum, non sit vsque ad vnum. Proprios nostri Cleri morbos fortasse nobis cum alijs etiam Cleris communes commemorabimus.

De quatuor morbis, qui Clerum solent inuadere, et inuaserunt nonnullos è Clero Veron. et primum de Vanitate; et de ijs, qui appellandi sint vani. Cap. I.

MORBI, quibus noster Clerus laborat, ij sunt, Vanitas, Negligentia, Indulgentia, & Cupiditas: quorum omnium præcipuus, & reliquorum omnium veluti fons est Vanitas. Quid autem sibi velit Vanitas, & qui propriè appellandi sint vani Clerici, & Sacerdotes paucis verbis explicandum est, vt malorum nostrorum origine cognita, qui medicina egent, medicamento leniente (quod maximè cupimus) conualescant. Quidquid inutile, quidquid falsum, quidquid illicitum, quidquid denique extra propositum finem est, id dicitur vanum: quæ omnia auctoritate sacrorum librorum confirmari possunt. Vani meritò appellari possunt è vobis, qui se ipsos ignorantes cætera omnia agunt potiùs, quàm ea, quæ ad eorum officium pertinent. Fratres ferè omnes hoc vitio laboramus. Sumus enim illi dolosi, de quibus cõqueritur Dominus per Malachiam prophetam:

qui cùm habeamus masculum, debile offerimus eius maiestati: hoc est, animam, cuius oblatione nihil ei potest esse acceptius, varijs huius seculi sollicitudinibus, ac perturbationibus deprimimus, & multiplicibus cupiditatibus contaminamus. Debile autem DEO offerimus, qui nomine tantùm nos sacerdotes ostendimus; vocem, verba, genuflexiones, cantilenas DEO exhibemus; & munere sacerdotali sine spiritu DEI fungentes iustissimam DEI iram in nos prouocamus, vt maledicat Dominus, quemadmodum per eundem prophetam paulò post comminatur, benedictionibus nostris. In hac, cuius exemplar in Cœlo est, militante Ecclesia varijs ordinibus distincti sunt homines, in quibus maximè elucet pulchritudo: qui tanta, tamque admirabili dispositione inter se connexi sunt, vt in vnũ redigantur, & ad constituendum sacerdotium, quo sacerdos, & Pontifex CHRISTVS repræsentatur, hostiaque pro peccatis omnium principi DEO immolatur, omnes referantur. Quòd si in militia nihil potest esse turpius, quàm non seruare, aut deserere ordinem, quod qui facit, ab Imperatore exercitus varijs pœnis, morte etiam ipsa punitur, qua pœna digni sumus, cùm in militiam, & in sortem CHRISTI adscripti eius castra deserimus: ordinem, in quo singulari eius beneficio sumus constituti ad gloriam DEI conseruandam, & ad cęleste regnum propagandum, perturbamus plerique nostrum, ac etiam deserimus?

DE

De Pastoribus ouium Christi, unde eorum auctoritas ortum duxerit; et in quibus studijs se exercere, à quibusuè abstinere debeant. C. II.

CVRA ouium Chrsti commissa est multis pastoribus, sed inter eos remotiores quidam sunt, alij proximi. Oues Christi, quæ in ciuitate, & diœcesi Veronensi sunt, commissæ sunt cum omnibus orbis Christiani ouibus supremo pastori, Christi Vicario, successori Petri, nunc Pio Quinto sanctissimo Pontifici: Commissę sunt mihi, qui in partem huius sollicitudinis ab illo, cui successit, Pontifice sum vocatus: Commissę sunt vobis Parochis, & quasi distributæ, vt singulis certum animarum numerum pascere præscriptũ sit. Verum vt cœli, & solis vis, qua generantur, & intereũt omnia, quæ oculis nostris subiecta sunt, à Deo tanquàm à prima causa pendent, & vis generandi, quæ inest in homine, à cœli motu, & cursu proficiscitur: ita ratio huius Veronensis Cleri pascendi, omnisque mea auctoritas à sancta sede Apostolica, à Christi Vicario ortum habet: Vos etiam quòd possitis ministrare sacramenta, & pascere verbo, & exemplo, quòd demùm appellari possitis pastores, ab eadem sancta sede Apostolica, aut a me habetis. Quamobrem fratres, quibus animarum curam tradidit Dominus, vt in hac vinea mecum laboraretis, vt me tanto onere subleuaretis, pro certo habetote, nihil esse salutarius populis, nihil tàm necessarium ouium saluti, quàm vt pastóres inter se consentiant, quàm vt præcipuus pastor, qui à supremo pastore ad excitandos, atque ad insti-

tuendos alios pastores est delectus, agnoscat illos, vt fratres, eos facilè admittat, eis faueat, atque modis omnibus iuuet. Qui verò parui cuiusdam gregis curam sibi commissam vident, munere fungantur suo; vt fideles, & strenni ministri Episcopum subleuent, & animas sibi creditas Deo repræsentent: quid dicam fratres hoc loco? Testem inuoco D. N. I. Christum, qui est omnibus pastoribus exemplum propositum, nihil mihi magis esse curæ, quàm audire, vos in arte artium, & scientia scientiarum, quæ vt B. Gregorius scribit, est regimen animarum, proficere; quàm sanctos vestros conatus adiuuare; existimationem vestram omnibus rationibus tueri. A vobis autem quid petam? Attendite quid petam: Hoc vnum etiam, atque etiam peto, vt diligenter aliqui vestrùm mecum cõsideretis, an in nos horrenda illa verba Hieremiæ conueniant, Væ pastores, qui oues pascuæ meæ obtruncatis, & dispergitis: vos dispersistis oues meas, eas expulistis, nec visitastis: eccè vlciscor super vos, & mala studia vestra. An, obsecro, non obtruncamus, & dispergimus oues negligentia nostra, indulgentia nostra? An non dispersimus, & expulimus oues Christi, eas non pascendo verbo, & exemplo? An nobis non est vehementer timendum, ne vlciscatur Dominus mala studia nostra? Quæ autem sunt studia nostra? Haberi omnes volumus meliores, quàm simus; laudari cupimus immemores officij nostri, nosmet ipsos pascimus, non oues nobis traditas. Quamobrem timendum est, ne iure illas etiam Zachariæ voces emittat Dominus, Pascite oues occisionis; qui possidebant, iugulabant, nec pœnitudine tangebantur. Sine lachrymis cõmemorare non possum quasdam huius diœcesis parochias, quæ (ita Deo permittente) pro populorum fortassè peccatis, in lupos potiùs, quàm in pastores inciderunt, qui,

tan-

tantum abeſt, vt vultum pecoris, ſui agnoſcant, & appellent oues ſuas nominatim, quemadmodum Chriſtus de bonis paſtoribus dicebat; eas vt fugiant, nihil ſit illis prius, quàm aliquo prætextu abeſſe, quàm me, & miniſtros meos decipere: quos admonitos volo, poſſe illos quidem interdum me fallere; Deum fallere minimè poſſe, tantæ iniuſtitiæ, tantæque iniquitatis grauiſſimas eſſe pœnas daturos.

De officio paſtoris, quod conſiſtit in cognoſcendis, cuſtodiendis, & paſcendis ouibus, ac primùm de ouium cognitione. Cap. III.

ALIQVOS offendebat doctor gentium, & optimus paſtor infirmabatur, alius ſcandalizabatur, ipſe vrebatur; pro quibuſdam gratias agebat; alios acriùs increpabat; alios gaudium, & coronam ſuam nominabat; aliis amentiam obijciebat; quoſdam alacritate ſua ad alacryter Deo ſeruiendum excitabat; alios peruerſis opinionibus imbutos, & prauis cupiditatibus corruptos reprimebat; interdum lugebat; interdum virgam minabatur; aliquando ſe clementiſſimum patrem præbebat; ex hac vita migrare geſtiebat; propter filios ſuos tamen magis neceſſarium putabat viuere; pro omnibus preces fundebat, pro fratribus ſuis anathema fieri cupiebat, vt ipſi ſalui eſſent. Nos huius ſeculi paſtores delectat nihil agere, valetudinē cuſtodire, neminem infenſum habere. inanis gloriolæ cupidi, quid de nobis loquantur homines, vehementer ſumus ſolliciti, oues noſtras aut non cognoſcimus, aut eas plerunque iurgiis, & modis variis irritamus Chriſti D.N.

exemplar propositum minimè habentes, qui fecit, quod docuit; nobisque illis verbis expressit, & antè oculos posuit officium nostrum, Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Qua ratione fieri poterit, vt quis animam suam ponat pro ouibus, quas non cognoscit? quas nec custodiendas curat? quas non pascit? Hæc requiruntur à vobis Parochi, vt cognoscatis, custodiatis, & pascatis oues vestras, mihique eas cognoscendas, custodiendas, & pascendas (si mea etiam custodia, & pastu indigent) proponatis, Omnes sacri ordines sanctitatem quandam requirunt, atque aliquas functiones, vt in ecclesiastica hierarchia Deo seruiatur: sed prætereà in iis, quibus animarum cura commissa est, requiruntur illa tria, quæ dixi, Oues cognoscendæ sunt, appellandæ nominatim, numerus animarum in catalogum redigendus; eorum, qui ad sacrum Baptisma ducuntur, atque etiam eorum, qui eos suscipiunt, describenda sunt nomina, vt in Constitutionibus, & in nostro etiam libello scriptum est, cognoscendi publici peccatores, corruptores aliorum, & sæpè reprehendendi, atque obiurgandi, eorumque nomina ad me sunt deferenda, atque etiam, si opus est, ad Magistratus sine vllo timore. Suscipit enim, & tuetur Dominus defendentes causam suam, & iustos non derelinquit Indagandũ est omni studio, & diligentia, si qui hæresi contaminati sint: illique statim deferendi: cognoscendi sunt excommunicati, & minimè tolerandi Concubinari, Adulteri, Vsurarii, populorumque corruptores, qui aleis, aut choreis, & aliis ludis diebus festis diabolo seruiunt, non Deo, impatientiæ, blasphemiæ domesticorum furtorum occasiones præbentes. Cognoscendi sunt insolentes, contumeliosi, humiles, atque depressi: illi admonendi sunt, se ipsos vt cognoscant; se meminerint morituros, & coràm Deo iustissimo iudice, qui superbos solet confundere, rationem

reddi-

reddituros: ij erigendi, ac consolandi hac spe, fore, vt humiles exaltentur, vt opressi calumniis, & lugentes consolationem accipiant; mansueti possideant terram viuentiũ in qua mors non dominatur; pauperes spiritu regnum cœleste consequantur. Iterate, fratres, charissimi, illa verba Salomonis, Agnosce vultum pecoris tui; ponderate; quæ magister, & Dominus, & exemplar pastorum omnium Christus dixit, Agnosco oues meas,& cognoscunt me meę. Considerate etiam, quæ dicit de bono pastore; appellat eas nominatim. Hoc loco ingratus sim, si Deo opt. max. gratias non habeam, qui Parochos non paucos coadiutores mihi dederit, qui agnoscant vultum pecoris sui; oues etiam apellẽt nominatim, hortando, excitando, reprehẽdẽdo, docẽdo,& eorũ saluti multis rationibus cõsulẽdo. Sunt multi parochi, lætitia mea, & (vt verbis Apostoli vtar) Corona mea: sunt etiam, quos tristitiam meam, quos dolores meos, quos lachrymas meas possim appellare: qui autem ij sint, non pertinet ad hunc locum nominare. Quid enim est necesse illos confundere? ipsi legentes hũc nostrum libellum facilè intelligent, quos ego indicem. Singulis autem in omnibus ordinibus constitutis huius libelli exẽplum faciendũ statuimus, vt magis adhuc sint inexcusabiles, si se ipsos non correxerint. Cognoscendi sunt etiam à Parochis mendici, & aliorum auxilio indigentes ad hunc vsum, vt ipsi quantum possunt, eorum paupertatem subleuent; aut, si minus possunt, alios hortentur ad eos subleuandos.

De custodia ouium. Cap. IIII.

VErùm non in hoc solùm pastoris officium consistit, oues vt cognoscat, sed etiam, vt custodiat, & pascat.

ſcat. Cuſtodiendæ ſunt in primis, ne perennis animarum noſtrarum hoſtis diabolus, qui ſemper Circuit quærens, quem deuoret, prauis opinionibus populum corrumpat, peſte hæreticæ prauitatis ſimplicium animæ non inficiantur; & ideò habeant ſemper in ore Veronenſes Parochi Sanctã Matrẽ Eccleſiã eſſe à Spiritu ſancto edoctã, errare non poſſe; Chriſti Vicarium ſucceſſorem Petri eſſe Romanum pontificem ſupremum omnium paſtorem; Epiſcopum Veronenſem eorum eſſe præcipuum patrem; ſe eſſe adiutores Epiſcoporum, & proximos paſtores, qui diuinitus per ſummum Pontificem, aut per Epiſcopum ad illos paſcendos, ſint miſſi. Timendum eſſe Dominum, ſeruanda præcepta Dei; ſanctis operibus fidem in Chriſtum comprobandam. Non minima pars cuſtodiæ veſtræ, ne peſtis animarum hæreſis gregem veſtrum inficiat, in hoc erit poſita, vt vel minima indicia ad me, vel ad P. Inquiſitorem ſtatim deferatis; qua in re ſi aut timore, aut negligentia. aut malitia veſtro officio defueritis, ſcitote vos grauiſſimas pœnas eſſe daturos, præterquam quòd crudelitatis, aut potiùs impietatis veſtræ in filios veſtræ fidei commiſſos (quandoquidem exitialem morbum, grauiſſimam peſtem ab illis depellere non ſtudetis) vlciſcetur etiã Dominus. Debent etiam diligenter obſeruare, qui magiſtri ad erudiendos pueros in oppidis ſibi commiſſis, & in tota ſua Parochia commorentur. Adhibeant in primis maximam curam, & diligentiam, ne ſuperſtitiones, incantamenta, & huiuſmodi diabolicæ artes in populo ſuo reperiantur; deniq́ue operam, vt pueri in rudimentis Chriſtianæ fidei inſtituantur; ne craſſæ populi ſui ignorantiæ rationem ipſi reddant. Verba illa Ezechielis prophetę non ſolùm Epiſcopis conſideranda, ſed Parochis etiam: Et tu, inquit fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael; audies enim ex ore meo ſermonem; annũtiabis eis ex me:

&

& alio in loco idem propheta verba, quæ mihi plerunque timorem maximum incutiunt, scripsit, Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit ex eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Si gladium venientem, & iugulantem animas vobis creditas videtis, insonate buccina, ad me scribite, vos ipsi venite, ne requirat Dominus sanguinem animarum vestrarum à vobis, aut fortasse à me, qui vos ad munus vestrum præstandum non inuitauerim, vobisq; omnibus in rebus operam, & auctoritatem meam non præstiterim.

De pastu ouium, quæ pascuntur prædicatione verbi Dei, administratione sacramentorum, exemplo, præceptis, & admonitionibus: & primùm de prædicatione verbi Dei. Cap. V.

TERTIVM, quod ouibus à pastoribus debetur, est, pastus. Pascuntur autem varijs modis prædicatione verbi Dei, administratione sacramentorum, exemplis, præceptis, & admonitionibus. Paruuli petierunt panes, nec erat, qui frangeret eis conquerebatur propheta: quæ voces, si diuinitus emissas nonnulli sacerdotes, qui veluti muti canes oues sibi commissas minimè custodiunt, audirent suæ negligentiæ profectò eos puderet. Væ mihi, dicebat ille, quia tacui; & alius, Dilata os tuum, & implebo illud. Paulus eisdem verbis vtebatur, Væ mihi, si non euangelizauero. Cur dixerunt, Væ? quia horrendum iudiciũ manet illis, qui non annũtiant populis suis scelera eorum; qui non seminant, quantum in ipsis est, verbum Dei: quam

verissimam sententiam expressit Spiritus sanctus in sacro Concilio Tridentino, in quo scriptum est, Pręcipuum esse munus Episcoporum, & Parochorum docere; qui linguas infantium facit disertas omnium bonorum largitor Dominus, qui pios homines paucorum dierum spatio etiam ita instruit, vt præter hominum opinionem animos trahant, quocunque volunt. Magna est librorum copia, multi reperiuntur sermones sanctorum hominum, multæ Euangeliorum, & Epistolarum explicationes: nemo vel mediocri etiam ingenio præditus, non facilè reperiet, quæ populo possint explicari. Cathechismus verò Romanus, vt alios Catechismos omittam, quamplurimos locos continet, in quibus, fratres, magna cum populorum vestrorum salute possitis versari: & quò minus conciliatrice illa animorum, vanitatis, & plerunque inanis gloriæ comite eloquentia excellitis, eò alacrius, & tutius populos vestros instruite. Non animaduertunt filij, parentes sui eleganter loquantur, nec ne; verba nihil curant; paterna præcepta audiunt. Quapropter fuit in Constitutionibus, quas nominauimus, Giberti decretum, ut Parochi singulis diebus festis Euangelium D.N.I. Christi explicarent, vitia, quibus populum deditum esse animaduerterent, reprehenderent, ad pietatem, & ad omnes Christianas virtutes suę fidei commissas animas erudirent: ad quam constitutionẽ diligenter obseruandam sæpè longa etiam oratione in Synodis omnes Parochos sum cohortatus: atque vt faciliùs præstare munus vestrum possetis, & mihi in re tàm necessaria satisfacere, congregationes institutæ sunt, in quibus singuli in tractatione rerum vtilium ingenium execere, & facultatem quandam dicendi sibi possent comparare: ex quibus congregationibus Spiritu sancto ita edocente institutis, maximum iàm fructum percepisse aliquos ex vobis & ipse animaduerto, & omnes intelligunt, ità vt sperandũ sit

fit in dies maiores vtilitates vniuersam etiam diœcesim con sequuturam. Sed cauete fratres, ne sermones habentes ad populum aliquid falsum dicatis; antequàm loquamini, diligenter considerate, quid dicturi sitis; ex vestro ingenio in ijs, quę pertinent ad dogmata, nihil pronuntiare audete. Adulatio etiam illis, qui verbum Dei tractant, maximè fugienda est: in quod vitium valdè pernitiosum incidunt ij, qui placere hominibus student, de quibus scriptũ est, Confusi sunt, qui hominibus placent. Venenum letale aliqua dulcedine permixtum est adulatio, quod pernitiem affert omnibus, quibus propinatur, præsertim incautis populis, qui cùm ab eo, à quo corrigendi essent, laudantur, deteriores fiunt illis laudationibus, & ad omnia peccata procliuiores. Quamobrem Propheta dicebat cõtra huiusmodi homines, conuertens orationem suam ad populum; Qui te beatum dicunt, te seducunt. Seducere est, laudare peccatores: seducere est, dissimulare publica peccata: occidere est, graui morbo laborãtibus nullo medicamento succurrere: quanquàm, interdum, vt medicinas, quò faciliùs sumantur, melle, aut saccaro medici condiunt, ita, vt reprehensiones faciliùs admittantur, & magis proficiant, non erit fortaſsè inutile aliquas laudes pręmittere minimè quidem falsas, vt indè aditus vobis fiat ad acriùs reprehendenda vitia: cuius exemplum tradidit B. Apostolus cùm dixit; Laudo vos, sed in hoc non laudo: atque, vt ad vsum Veronensis populi omnia, quæ scribimus, referantur, Laudari interdum possunt populi, quòd omnem hæresim detestentur; quòd à Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio nunquam recesserint; quòd aliquas fraternitates instituerint, aut auxerint: sed statim addendum est, Fidem sine operibus mortuam esse: Charitatem esse formam, & animam omnium virtutum, remittẽdas iniurias, subueniendum pauperibus, ab omni vanitate abstinendũ,

proprijs vnumquenq; debere esse contentum, aliena non appetenda, honorandos parentes, filios non irritandos, sed potiùs in pietate, & virtutibus erudiendos, Ecclesiam frequentandam, à ludis, à saltationibus, quibus armis vtitur diabolus ad capiendas animas, abstinendum, præcepta Ecclesiæ seruanda, Missas, & sancta officia audienda; ieiunandum, orandum pro se, & pro mortuis, de morte, de die iudicij, de inferno, de fœlicitate Paradisi considerandum: in quorum locorum tractatione ea inferẽda sunt peccata, atque pluribus verbis detestanda, ad quæ magis propensum populum scitis. Qua in re date operam, vt in nullam ostentationis suspicionem incidatis, ne vos inanem potiùs gloriolam quærere, quàm salutem animarum vobis esse propositam, quispiam possit suspicari: in quam suspicionem illi incidunt, qui longissimis sermonibus, & multis conquisitis auctoritatibus, abstrusis etiam interdum disputationibus populum detinent. Fratres charissimi, quicquid ad mores informandos, & ad excitandos populos ad pietatem non pertinet, id superuacaneum putate. Verba illa B. Francisci mandate memoriæ, atque etiam obseruate, Proponendam putaui pœnam, & gloriam, virtutes, & vitia cum breuitate sermonis: in his est posita vis totius prædicationis: epulæ, quæ non abundant, auidiùs sumuntur: ita etiam solet accidere audientibus. auidiùs, & libentiùs audiunt, cùm quis necessaria tantùm dicit: superuacanea enim molestiam afferunt. In hoc autem admonendi maximè estis, ne, cùm ad populum sermonem habetis, seditiones vllas commoueatis: hoc enim est valdè alienũ ab officio pastoris, ad quem spectat, congregare oues suas: quod ambitiosis quibusdam Parochis accidit, qui fauentes alicui fraternitati, aut aliquibus è populo, alios irritauerunt; seminauerunt discordias, & qui concordiæ, & pacis auctores pro suo officio esse debuerunt, ministri fuerũt

 odij,

odij, inimicitiarum, seditionum, & calamitatum. Qui non quærunt, quæ sua sunt; qui agnoscunt, quale sibi sit traditum à Deo ministerium, in tàm magnum errorem nō incidunt. Et quoniam, vt sunt varij mores hominum, variæ ætates diuersaque rerum genera, ita populis variȩ medicinæ sunt adhibendæ, non tractabo hoc tempore hoc argumentum: fuit enim pluribus verbis tractatum à sanctissimis, & doctissimis theologis. Gregorius Nazianzenus in oratione, quam inscripsit Apologeticum, quam è Græca in latinam, atque in vernaculam etiam versam scimus, varios, atque occultos animi morbos indicans, varias etiam, & admodum salutares medicinas è sacris scripturis sumptas pastoribus ponit antè oculos: quem locum B. etiam Chrysostomus in illis dialogis, qui sex libris continentur, inscriptis de sacerdotio copiosè admodùm tractauit. Sed profectò in hoc sancto, & salutari argumento tractando sanctus Gregorius Pont. Græcorum eloquentissimorum hominum industriam non modò æquasse, verùm etiam superasse videtur. Scripsit etiam vir ille sanctissimus, & dignissimus, qui successor Petri esset artem pascendi animas pastoribus. Legite charissimi fratres prȩstantissimum sanctissimi Pontificis opus, & omnibus pastoribus necessarium, quod inscribitur, Pastorale: legite saltem illud singulis annis; repetite, & mandate memoriæ salutaria illa præcepta, & in primis Deo in Ecclesia Veronensi seruientes diligenter obseruate, & accommodate ad erudiendas animas; qua ratione illi corrigendi, & sanandi sint, qui non remittunt iniurias, qui opprimunt pauperes, qui sunt iracundi, atque illi, qui nimiȩ habendi cupiditate vsuris pauperes occidunt, qui bona Ecclesiastica libenter occupant, qui defraudant decimas; atque (vt paucis dicam) eā capita, quæ magis pertinent ad peccata populi vestri, diligentiùs mandate memoriæ. Quo loco vehementer pro-

barem illud, quod probatū vidi in proximo Concilio prouinciali Mediolanensi, vt in sermonibus, quos ad populos habetis, etiam scribendi diligentiam adhiberetis,& singulis mensibus vnum saltem vos, qui Veronæ commoramini, mihi afferretis: qui vero extra vrbem viuitis, mitteretis. Nam, vt Socrates dicebat, vnusquisque satis est eloquens in eo, quod scit: ita vt cùm scribere nihil sit aliud, quàm magna cū meditatione,loqui:qui scripsit,iàm meditatus est,iam ordinem disposuit, magnam timoris partem abiecit, iàm se dicturum cum audientium fructu, atque etiam cum gloria Dei potest sperare. Quanquàm fratres, quid patri timendum est dicenti coram filijs? quid ministro Dei tractanti regis regum, & Domini Dominantiū causam? quid medico salutares medicinas afferenti ægris animis? quid pastori pascenti oues pascuæ suæ? profectò nihil est timendum, modò non quærat sua, sed quærat, quæ Dei sunt; quæ verba imprimi in animis omnium vehementer cupio. Regulas autem, quas B. Antonius in quodam opusculo tradidit huic libro inserendas iudicaui, ne obscuras quæstiones vobis tractandas putetis. Nunquàm de prædestinatione loquamini, nisi sententias ad cōfirmandum liberum hominis arbitrium in medium etiā afferatis. nunquàm de fide, nisi etiam Charitatis à vobis fiat mentio, & de operibus, sine quibus fides mortua est, De meritis longam orationem non habeatis, nisi priùs de gratia Dei multa tractaueritis.

De administratione sacramentorum. Cap. VI.

PASCVNTVR etiam animæ administratione sacramentorum, quæ sunt salutares medicinæ, quibus sanantur, reficiuntur,& cōseruantur plures. Si quis rectè cō

fideret grauiores fuæ animi morbi, quàm corporis, eòque difficiliores, quò difficiliùs cognoscuntur. Quamobrem infirmis, & ægris animis crebris opus est medicinis, quas auersari deplorato morbo laborantes, & in primis phrenetici consueuerunt. Vos charissimi fratres cognita ui, & natura morborum, quibus laborant animæ, quas Dominus N. I. Christus precioso sanguine suo redemit, & vestræ curæ commisit; sacramento pœnitentiæ, & sanctissima Eucharistia eas sanare, reficere, & conseruare studete. Huiusmodi est sacrificium Deo acceptissimum, hic est zelus animarum, quo boni ministri Dei à malis dignoscũtur. Hoc loco satis deplorare non possum quorundam sacerdotum, atque etiam parochorum vanitatem, ne dicam impietatem, qui talentum sibi diuinitus traditum, abscondunt, qui tantum abest, vt sanctis sacramentis salutaribus cibis filios suos fideles Christi pascant, vt ipsi rarò admodum celebrent; sacerdotis officio fungi, sacramenta administrare, rem nobili homine indignam existiment. Quæ opinione, aut potius portento quid absurdius, quid horribilius excogitari possit, non video. Quæ in constitutionibus decreta sunt contra huiusmodi mercenarios, & indignos pastoris nomine, minima pœna est, si sceleris grauitas consideretur, tantam superbiam, tantamque animi peruersitatem vlciscetur Dominus. Huiusmodi etiam sacerdotes nobis sunt notissimi, & faxit Deus, vt cùm stabimus omnes antè tribunal D. N. I. Christi mihi pro eorũ iniquitate, & perniciosa negligentia ratio non sit reddenda. Quia multis, & variis morbis dum in hac valle lachrymarum sumus, laboramus remedijs etiam quotidianis egemus. Quamobrem in oratione Dominica præcipit Dominus Iesus Christus, vt panem quotidianum peteremus tanquàm Christianis omnibus necessarium. Si panis quotidianus est, inquit B. Ambrosius, addamus nos, cur post

annum

annum sumitur? cur illi, ad quos spectat frangere panem esurientibus, sunt tam impij, vt famelicas animas non pascant? De frequenti vsu sacramentorum multa à sanctis patribus scripta sunt ad Parochos excitandos ad tàm salutarem medicinam exibendam, atque etiam ad populos inuitandos ad hunc panem tàm vtilem sumendum. In sacro etiam Concilio Tridentino, & in Catechismo Romano idem locus tractatus est. Hortor autem, & per viscera D.N. Iesu Christi obsecro omnes Parochos in hac Veronensi diœcesi curam animarum exercentes, atque etiam omnes omnium ordinum religiosos, vt veronensem populum auctoritate, rationibus hortentur, precibus etiam inuitent ad sacramentum pœnitentiæ, atque ad sanctissimam Eucharistiam saltem semel in mense sumendam: nulla enim ratione faciliùs extingui odia, simultates tolli, prauas consuetudines euelli posse, quiuis facilè intelliget; nulla demùm ratione sedari perturbationes animi, & in variis huius vitæ fluctibus faciliùs peruenire in portum, hoc est in cœlestem patriam, quàm si sæpè coniungamur Christo.

De tertia pascendi ratione, nempè exemplo. Cap. VII.

TERTIA est pascendi ratio, qua oues Christi pascuntur, nempè Exemplo: ita enim vsu solet euenire, vt ad mores Principum, atque illorum, qui sibi sunt præpositi mores suos, & vitam suam ferè omnes accommodent; quod pluribus exemplis confirmare possem; sed in re admodum nota non est opus. Habetis constitutiones de moderatione adhibenda in vestitu, in incessu, in verbis, in mensa atque in omni vita, quas si obseruaueritis, pascetis partem gregis mihi, & vobis commissi exemplo. At

quoniam

quoniam aliquorum Cleri Veronensis morbum indicaui, vanitatem; oremus omnes clementissimum patrem Deum, vt omnium ordinum oculos auertat, ne videamus vanitatem, ne admiremur res externas; nihil aliud spectemus, quàm Cœlum; eò oculos nostros intendamus, vbi Deo congiungimur, eiusque iucundissimo aspectu fruituros aliquando nos esse speramus. Auertat aures nostras, ne audiamus vanitates, maledicentias, obtrectationes, adulationes, scurrilitates, & huiusmodi nugas, ob quas sacerdotes interdum à populis contemnuntur. Moderetur, dirigat, & regat sensus nostros, vt, cùm à natura nobis vtiliter sint dati tanquàm rationis ministri, in vanum nobis dati non sint tanquàm satellites cupiditatum; corroboret cor nostrum, vt vanum non sit; non distrahatur; cum Deo coniugatur. Vanitatis sorores curiositas, leuitas, scurrilitas longè absint à nostro Clero; constitutiones non timore pœnæ, sed honoris Dei causâ seruentur; augeatur, quæ de Veronensi Clero latè iam diù peruagata est, opinio; esse sacerdotes nostri studeant, qui haberi maximè cupiunt, doctrina, sanctis moribus præditi, in Ecclesiastica disciplina eruditi in catechismis præsertim instructi, orationibus, sanctis sacrificijs, verbo Dei saluti populorum consulentes, minimè negligentes, minimè indulgentes, minimè cupidi.

De secundo morbo quo aliqui ex Veronensi Clero laborant, qui est negligentia, & qui appellandi sint negligentes, vbi pauca etiam de curiositate. Cap. VIII.

DE negligentia nouerca omnis disciplinæ, inimica prudentiæ, miseriæ, & calamitatis comite cogor etiam

dicere

dicere, quia chariſſimi fratres, hoc vitio ferè omnes laboramus; ea, qua debemus, ſollicitudine in militia Chriſti non militamus; & ideò vincimur, & communis hoſtis ſuum auget imperium. Iſidorus in etymologiis negligentes appellat, hoc eſt nihil eligentes eorum, quæ optanda, & eligenda eſſent: quod vitium ab ocio originem ducit, à peruerſa conſiliaria voluptate nutritur. Quid poteſt excogitari abſurdius, aut ignobilius Clerico negligente, ocioſo, aut voluptatibus dedito? Verebatur Iob omnia opera ſua, quia ſciebat, quòd Deus non parceret delinquenti; Deum conſiderans magno timore perturbabatur. Beatum Salomon appellauit, qui ſemper eſt pauidus: quantò æquius eſt nos omnes, qui in hæreditatem Domini vocati ſumus, timere, atque horrere tremendum iudicium Dei? Extant præclara opuſcula de ſtatu Clericorum, ac ſeparatim de negligẽtia paſtorum à B. Antonino conſcripta, quę in manibus omnium ſacerdotum ſi verſarentur, Clerus hic noſter non tantoperè laboraret. Lectio ſacrorum librorum, ſcribendi exercitatio, vſus ſermones habendi ad populum, conſuetudo bonorum, & ſanctorum hominum, tradendæ doctrinæ Chriſtianę ſtudium, temporis diſtributio, & omnium horarum in ſanctos vſus partitio auferunt à bonis Clericis blandam, & pernicioſam humanæ vitæ adulatricem negligentiam: Illæ meditationes, Nunquid hodiè melior, aut doctior euaſi? Qualem ego perſonam gero? Fungor ne meo munere? Seruio ne fideliter Deo, an alij multò meliùs? pertinent ad negligentiam fugiendã, cuius inimica paupertas, mater induſtriæ, & multarum virtutum eſſe conſueuit. Quòd ſi interdum calamitate alicuius occidit, vt inter ſe conſentiant, hoc eſt, vt qui eſt negligens, etiam pauper ſit, nihil ea ſocietate, nihil eo homine poteſt eſſe calamitoſius: pauperes, deſides, & negligentes quoſdam in noſtro Clero cognoui, quorum cala-

mitatem

nitatem multis etiam audientibus non potui non deplorare: eos autem moneo, vt à somno excitentur; studio, opera, & diligentia efficiant, vt posthac infœlici hoc nomine iure appellari non possint. Sunt verba B. Apostoli, Seruiamus Domino cum metu, & reuerentia: & alio in loco, Cum metu, timore, & tremore vestram salutem operamini. Hæc verba à nobis iterentur, & commendentur memoriæ: sunt enim valdè necessaria omnibus ordinibus, & mihi multò magis, quàm omnibus, qui in hoc Clero sunt. Omissione grauiter peccamus fere omnes, & ipse eò grauiùs, quàm cæteri, quo de pluribus mihi reddenda est ratio. Metus, timor, & tremor diligentiam pariunt; sanctam sollicitudinem inducunt, omnem negligentiam fugant. Quamobrem rectissimè Salomon, aut is; qui Ecclesiasticum scripsit, hæc verba refert, Timor Dei fons vitæ, vt non declinet à ruina mortis: & alio in loco, Qui Deum timet, nihil negligit. Indè igitur, charissimi fratres, nostræ negligentiæ oriuntur, quod Deum non timemus; quod non ponimus corda nostra super itinera nostra, vt hortatur propheta, quòd non timemus ruinam. Qua de re cùm plura essent dicenda, & communi miseria communiter etiam lugendum, verba B. Dauidis cõmemoro, vt audiantur, & imprimãtur in animis nostris, Timete Dñm oẽs sancti eius, quoniã nihil deest timentibus eum: Si Deũ eo timore, quo boni filij parentes timent, timuerimus, non negligemus nostram; atque aliorum salutem. Fratres, durissimum illis iudicium erit, quorum culpa, aut negligentia aliqua ouis Christi perierit: Non pauisti, occidisti, inquit B. Ambrosius de alimento corporis intelligens: quantò magis hæc verba conuerti possunt ad nos? Non pauimus; occidimus: aliquis vestra negligentia, aut quia absentes eratis, aut quia vos ipsi nimiùm diligitis, sine sacramentis ex hac vita decessit, eam vos animam occidistis;

viduas, & pauperes oppressos sermone, & opera non sublcuastis: in desperationem inciderunt, tanti criminis participes estis. Ego quia non clamo, quia sæpissimè cesso; quia scelera populi non annuntio, quia multos è vobis nō corrigo, adhuc expectans, vt in viam redeatis, vtinam me iustissimus Deus pro sua misericordia non puniat. Verba illa B. Apostoli Dum tempus habemus, operemur bono me xcitant nos, vt cogitemus breuitatem, & inconstantiam huius vitæ: cogitemus quatuor illa nouissima, de quibus præclarum extat Dionysij Carthusiani opusculum, Mortem, à qua non possumus longè abesse; Horrendum diem iudicij, in quo peccatorum, & negligentiarum liber, iudice Christo, proponetur; Infernum, vbi perpetuis supplicijs, & horrendis pœnis infelices animæ eorum, qui disciplinam neglexerint; cruciabuntur; Ac demùm cœlestem illam patriam. ad quam vocati sumus, ad quam qui perueniunt, sempiterna pace, & tranquilitate fruuntur. Sunt à piis hominibus scriptæ quę dam meditationes, aut potiùs Christianæ exercitationes, quibus nutriuntur animi ad veram pietatem, solentque in dies distribui; in quo genere studij maximè Clericis vtili, & necessario, hortor, vt omnes versentur; miseriam hominis, peccati grauitatem, innumerabilia Dei in nos beneficia, D.N.I. Christi vitam, & sanctissimam eius passionem, admirabiliaque omnia mysteria, & quatuor hæc, de quibus dixi, nouissima sæpè considerent, ac meditentur, Hæc enim meditatio negligentiam tollet. Est quidam morbus, quo negligentes sacerdotes plerunque laborant, Curiositas, quam sæpè maledicentia, & detractio consequitur, Fugite hunc morbum dilectissimi fratres: omnis anima curiosa indocta est, vt inquit B. Augustinus in libro de Ago ne christiano. sit vobis curę salus vestrę animę, salus populi Veronensis; curate, vt digni Dei ministri habeamini;

beamini; nostri Cleri conceptam opinionem conseruetis; sitis gaudium meum, & corona mea in Domino; diœcesim Veronensem, vestras in primis Parochias, vestrum orbem putetis; orationes tantùm vestras ad vniuersam Rem pub. Christianam extendatis, pro cuius incolumitate est semper orandus clementissimus pater Deus: cogitationes autem, & studia vestra, operam, ac diligentiam vestram collocate in Ecclesia vestra ornanda, & in Parochianis vestris rectè instituendis ad æternam, ac beatam vitam, ad quam omnes nati sumus, consequendam. Hoc loco satis mirari non possum; quid causæ sit, cur sacerdotes diœcesani, cùm tantùm illis sit ocium, nihilque eis desit; tempus tamen rem preciosissimam eorum plurimi conterant; cur eos delectet nihil agere, aut in alijs omnibus rebus diligentiùs versari, quàm in ijs, quæ ad eorum officium pertinent: ad quorum ignauiam tollendam scripsimus, atque etiam edidimus quendam libellum, quo Visitatores nostros impulimus, vt bis in mense congregarent vicinos sacerdotes; & singuli ad aliquam Catechismi partem, præsertim, in qua de sacramentorum administratione agitur, explicandam cogerentur. Sanctum illud ocium sanctis interdum occupationibus impeditum ad magnam doctrinam, atque ad admirabilem sanctitatem posset sacerdotes, qui ruri habitant, inuitare, atque erudire, si sibi ipsi non deessent; si sine causa, relicta Parochia, Veronam non venirent; si se multis negotijs nihil ad se pertinentibus non implicarent; si illi constitutioni, qua decretum est, Vt nemo sine iusta causa & sine nostra auctoritate à Parochia discederet; vt debent, obtemperarent.

De tertio morbo videlicet indulgentia, cuius causa est proprius amor.
Cap. IX.

NEGLIGENTIAE coniunctissima soror est indulgentia, totius Ecclesiæ Christi sponsæ calamitas, partis et nostri Cleri pernicies. Cùm enim nobismetipsis indulgeamus, & diligi ab omnibus, & laudari vehementer optemus; dissimulamus peccata filiorum nostrorum; virgæ parcimus; verba B. Pauli Apostoli ad Timotheum non audimus; non increpamus filios nostros durè; negligentes corrigere peruersos, eorum peruersitatem videmur fouere. Huius perniciosissimi morbi hæc est causa, Proprius amor, à quo proficiscuntur inanis gloriola, immoderatus mortis metus, nimia falsæ cuiusdam quietis cupiditas: sunt etiam, qui ad hoc vitium remissione quadam ingenij valdè inclinentur. Scribam ne, an prætermittam scribere ea, quæ non paucos è vobis possint confundere? Quàm pauci inter vos reperiuntur, qui criminosos sine magno timore ad me deferant? qui eos liberè arguant, ac reprehendant? qui non potiùs mihi de hac re conquerenti obijciant, perditorum quorundam hominum audaciam? periculum esse, si resciuerint se esse delatos, ne vos tollant è medio: ad me pertinere, Sacerdotum meorũ vitę consulere potiùs, quàm eos in discrimen adducere. Nimiùm perditè nonnulli vestrum se diligunt; quid dico, se diligunt? diligunt corpus suum; diligunt hanc multis, & varijs periculis, & calamitatibus expositam vitam. An iustum vnquàm deserere potest Dominus? an ministro Dei legem eius custodienti quicquam mali potest accidere? an non est præciosa mors sanctorum in conspectu Dñi? aut

aut vnum, aut paucissimos in hoc nostro Clero reperiemus, quibus, quòd munere functi sint suo, aliquid incommodi euenire permiserit Dominus. Nō longa vita, sed benè acta est laudanda: non est optandum diù viuere, nisi vt pœniten tiam agamus. Hæc nostra vita mors rectiùs est appellanda: & mortem calamitatum exitum, & transitum ad beatam, & æternam vitam iure quispiam dixerit. Eiicienda igitur est hæc mollities animi: abiiciendus est timor mortis nobis in primis sacerdotibus, qui pōtificem Christum sequimur, & cùm multis, & variis opprimimur molestiis, tunc ferimus crucem nostram, tunc verè Dei ministri sumus. Væ autē nobis: cùm laudant nos omnes homines; cùm nostrarum laudum cantilena delectamur. Laudabilis erat mos huius Cleri corrigendi inter se mutuò, atque etiam deferendi ma los mores alicuius, qui sacerdotii, & huius Cleri existimationem minueret, qui magna ex parte sublatus est magno cum totius Cleri damno, & maxima mea cū molestia. Fuit præceptum Christi, vt si peccauerit frater, corriperetur primùm inter se, & ipsum solum; post alteram verò admonitionem, nisi resipuerit, vt diceretur Ecclesiæ, hoc est Episcopis, & illis, ad quos pertinet correctio. Pœnæ, vt inquit Plato, sunt medicinæ admodùm salutares illis, qui puniuntur. Quamobrem illis etiam, quos defertis, multum prodesse vobis persuadeatis, præterquam quòd honorem, & gloriam Dei, vt bonorum sacerdotum est proprium, procuratis. Illud Heli sacerdotis exemplum, qui quanuis bonus esset, quia tamen filios suos non puniuit peccantes, grauiter à Domino punitus est omnibus, quibus cura animarum est tradita, præsertim Episcopis terrorem magnum debet incutere. Mihi certè incutit maximum; quandoquidē ipse non bonus tot filios, tot etiam fratres remissione, aut potiùs indulgentia mea vtinam deteriores non efficiam. Orate fratres charissimi pastorem omnium pastorum Christum Do-

minũ, vt mihi Episcopo vestro pro sua benignitate ignoscat, obliuiscatur negligentiæ, & indulgentiæ meę; donet posthac spiritum consilij, quo huic Clero, & vniuerso populo consulam, non solùm in spiritu lenitatis, sed etiam in virga, si necesse fuerit. Ego etiam eundem cœli, & terrę moderatorẽ, & benignissimum patrem Deum oro vt in vos, charissimi fratres, immittat spiritum fortitudinis, vt non trepidetis, vbi non est timor; veluti strenui ministri Dei nec maledicentias, nec calumnias, nec alicuius generis iniurias extimescatis, modò detis gloriam Deo, & Christum crucifixum prædicetis. Si quid vobis acciderit, vndè auctoritate mea vobis sit opus, vobis nunquam deero: non deerunt etiam huius ciuitatis Magistratus, qui adconseruandam Religionem, ad iustitiam administrandam, ad tuendos omnes, præsertim ministros Dei, ab optima Repub. missi sunt.

De cupiditate, & de Clericis negotiatoribus. Cap. X.

OMNIVM malorum radicem cupiditatem dixit B. Paulus Apostolus, sic etiam iure Cleri perniciẽ quispiam meritò potest appellare: impedit enim orationem, deuotionem, verbi Dei prædicationem; &, quod magis est, adimit omnem auctoritatem Parochis, atque sacerdotibus. Quid cupiat is, cui nihil deest, qui possidet omnia, qui secum omnia bona portat facultatem conficiendi sanctissimum corpus D. N. I. Christi atque offerendi tàm admirandum sacrificium pro suis, aliorumq; peccatis? Paucis, minimisq; naturam esse contentam & philosophi tradiderunt, & omnes facilè possunt animaduertere. Nemo est tàm iners, modo sit bonus, qui sibi non paret necessaria. Ministro Dei, sacerdoti altissimi qua ratione deesse poterunt non solùm ea, quæ ad necessitatem, sed quæ ad commoditatem eius perti-

pertinent? Nihil deest timentibus Deum, nihil sanctum eius nomen inuocantibus; multò minùs sanctissima eius sacramenta administrantibus, & panem spiritualem illis, qui esuriunt frangentibus. Egent homines, quia superuacanea cupiunt; egent, quia paucis, quibus naturam diximus esse contentam, ipsi contenti uon sunt. Accipite paucis, Sacerdotes, & Parochi Veronenses, Nihil est tam angusti animi, quàm amare diuitias, nihil est auaro scelestius, præsertim Sacerdote: si pauperes nati estis, ne cupiatis fieri diuites, nam qui volunt diuites fieri, vt B. scribit Apostolus, incidunt in tentationes multas, & in laqueum Diaboli. Mors est in olla, mors est in olla Clerici, inquit B. Hieronymus, quia peccatà populi commeditis, addamus nos, quia peccata populi abscondistis: redditus enim, quos omnes habemus, sunt Christi patrimonium, oblationes peccatorum, & hæreditas pauperum. Sed quoniam hęc nostra admonitio ad paucos pertinet, qui in nostro Clero sint, quādoquidem muli è vobis reditus admodum tenues habeāt; illos tantùm admonitos esse volo, vt paupertatem suam non molestè ferant; recordentur paupertatem Christi, quem omnes sequimur, qui sacerdos, & pontifex, & omnium virtutum exemplar est propositus; sciant paupertatis comites esse industriā, sobrietatem, continentiam; diuitiarum verò ancillas esse inuidiam, sollicitudinem, petulantiam plerunque, atque etiam luxuriam. Reperiuntur inter pauperes non pauci cupidi, qui lucrum nimis captant; sordidos se plerunque ostendunt; sibi ipsis adimunt necessaria; ornamentis propriæ Ecclesiæ desunt, nec vestes, quibus decorum sacerdotij tueri possent, nec libros, quibùs se, & alios possent instruere, audent emere. Illas omnes virtutes, quas B. Paulus requirit in Episcopis, scitote charissimi fratres in vobis etim, atque in omnibus, quibus cura animarum credita est, requiri, quæ non tracto, quia tractata sunt è quamplurimis, præ-

ſertim in decretis ſunt collecta pluribus verbis. Inter cæte ra documenta, quę tradit B. Apoſtolus omnibus paſtoribus, hoc eſt, Vt non ſint cupidi. Cupiditas autem non habet ſem per adiunctam affluentiam diuitiarum quæ cum interiori af flictione definienda eſt. Multi enim diuites reperiuntur, minimè cupidi, & pauperes ſpiritu: & contra non pauci pau peres elati, & cupiditate, ſi quid boni in illis eſt, corrumpentes. In decretis ſcriptum eſt in Clericos negotiatores: nos illos hortamnr, ſi qui in hac diœceſi ſunt, vt ignobilitatem, & calamitatem; in quam ſunt prolapſi, conſiderent; ſtudeant lucrari animas Deo, cœleſte horreum augere; ſibi ipſis tantam iniuriam non faciant, vt miniſtri Dei, & mercatores Chriſti, delecti ad lucrandas animas Chriſto mercatores ſeculi, & miniſtri mammonæ fiant: nemo ſe ipſe fallat. Dominus, cuius oculis nuda, & aperta ſunt omnia, non irridetur, nouit, ipſi ne, an eorum conſanguinei mercaturam exerceant, ſcit an vt paupertatem ſuorum ſubleuent, ipſi aliis permittant, vt mercaturam exerceant, an ipſi, vt ditentur. Multa ſunt præclara in Epiſtola B. Hieronymi ſcripta in hanc ſententiam: illa præſertim ſententia ſæpè commemoranda, ignominia ſacerdotis propriis ſtudere diuitiis.

De ſacerdotibus, qui curam animarum non habent, præſertim de iis, qui Eccleſiæ cathedrali ſeruiunt. Cap. XI.

ET quoniam certò ſcio, ſacerdotes etiam, qui curam animarum non habent, lecturos hunc noſtrum libellum qui maximas Deo gratias habere debēt, quòd ad hunc vſque diem à grauiſſimis periculis, quæ nobis, qui de cura nobis

nobis cõmissa rationẽ sumus reddituri,imminẽt,sunt seruati; conuertã ne ad eos sermonem? scribam,quæ sæpè dixi multis audientibus? augem ne hunc libellũ? scribam ne,inquàm,quę Spiritus sanctus mihi suggerit? scribã omninò præsertim ad eos,quos magis diligo Ecclesię nostrę Cathedralis sacerdotes: de qua quid alij sentiant,& dicãt,non est necesse hoc loco pluribus verbis cõmemorare,ne dilectissimę meę spõsæ laudibus, atq; ornamentis me ipsum videar extollere. Ministrant illi, quos singulis diebus intuemur,quos diligimus,quibus in primis fauemus.Quid agunt? an omnes nobilis Ecclesię existimationem tuentur? Vtinã non sint,qui nos,& fratres nostros Canonicos vanitate,inscitia,negligẽtia,& multis alijs rationibus tristitia afficiant:singulis diebus,cùm in chorum conueniant, vt debitas laudes bonorum omnium principi, & auctori Deo reddant,vtinam debitum negligentiùs,quàm reliqui sacerdotes in alijs Ecclesiis soleãt,ipsi in Chathedrali non soluant.Illa B. Bernardi verba, quibus fratres suos sanctus ille vir interdũ alloquebatur,in fine huius libelli proponenda iudico:ita enim scribit, Moneo vos dilectissimi, purè semper,& strenuè laudibus interesse diuinis:strenuè quidem, vt sicut reuerẽter, ita & alacriter Domino assistatis,non pigri,non somnolenti,nõ oscitantes,non parcẽtes vocibus,non præcidentes verba dimidia, non integra transiliẽtes,& quæ sequũtur.Quæ omnia huc spectant, vt in Choro nihil cogitetur aliud, nisi,quod ad laudem Dei pertinet:mens non vagetur;cũ timore,& tremore coràm potentissimo rege consistatis, ne de vobis dici possint illa verba, Chorus Veronensium sacerdotum labijs me honorat,cor autem eorum longè est à me.Quo loco B.Gregorij verba sunt diligenter consideranda, ne dùm blanda vox quęritur, recta orandi via deseratur;ne omittantur pausæ indistinctè, & nimiùm velociter verba proferantur:voces etiam nimiùm affectatæ interdum frangantur. Organis vtitur Ecclesia,vtitur musica ad sedandas animi perturbationes,ad excitandos animos

ad contemplationem rerum diuinarum, & ad amorem Dei. Hunc morem, quem illa nunquàm improbauit, neq; nos audemus non probare: admonemus tamen, vt illa B. Augustini verba in animis imprimantur sacerdotũ, Quoties me plus delectat cantus, quàm sensus, seu id, quod cãtatur, toties me grauiter peccare fateor: & tunc mallem non audire cantantem. Quæ etiam pertinent ad nonnullorum leuitatem, ne dicã impudentiam reprimendam: qui quoniam in musicis aliquos progressus fecerunt, & in frangendis, modulandisque vocibus alijs sacerdotibus pręstant, nullã aliam disciplinam Ecclesiasticam necessariam putant; quos pro officio nostro se ipsos fallere, & vehementer errare ostendemus. De erroribus, qui in persoluendis horis Canonicis committuntur, & qua pęna digni sint illi, qui obliti innumerabilium beneficiorum, quæ à Deo acceperunt, & immemores dignitatis suæ debita laude, & debito honore omnium munerum, & dignitatum distributorem, & benignissimũ patrem Deum defraudant, multa scripta sunt à sanctis hominibus, pręsertim à B. Antonino Archiepiscopo Florentino; cuius Summam maiorem, vt promptuarium pulcherrimarum, & optimarum rerum sacerdotibus nostris proponimus, eosque hortamur, vt studiosè legant, quę de negligentia in persoluendis horis Canonicis, & de erroribus, qui committi solent in sanctissimo Missæ sacrificio, & quæ optimus Episcopus, quem nominauimus, cui post aliquot nos successimus, Io. Matthæus Gibertus ijs de rebus scripsit, diligenter obseruent, præsertim secundi tituli quintam, & sextam constitutionem, qua statuit, quam reuerentiam intrantes in Ecclesiam, & stantes in Choro exhibere debeant Deo: atque etiam eiusdem tituli octauam de parendo magistro ceremoniarum: vndecimam de præuidendis lectionibus in Choro legendis, in primis verò decimam nonam, & vigesimam, quibus decretum est, vt celebraturi peccata sua confiteantur. Vt paucis multa complectar, cauete, fratres charissimi, per illum

ipsum,

ipſum, quem omnes colimus, & veneramur Dominum, per huius, quæ nos alit, & nos, vt filios fouet, Eccleſiæ dignitatem ab improborum, & ſceleratorum hominum conſuetudine; amate vos mutuò; omnes vel minimas odij, ſi quid in vobis eſt, ſcintillas extinguite. Dum in Choro eſtis, vobis perſuadete adeſſe fontem gratiarum, & auctorem amoris, qui pro eximia charitate, qua dilexit mundum, obtulit ſemetipſum patri, vt nos ei reconciliaret. Poſſumus ſacerdotes iure optimo dicere, nos omnia nobiſcum portare, cùm nobis conceſſa ſit facultas conficiendi ſanctiſſimum corpus Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, & continentur omnes diuitiæ bonitatis eius. Sed caueamus, ne verè, & cum lachrymis dici poſſit: portare nos quidem theſauros alijs, nobis autem perniciem. Diſcamus, quid agimus, atque illud ſæpè conſideremus; in hoc ſanctiſſimo ſacrificio euomit Dominus tepidum: prauis cupiditatibus corruptum auerſatur: oratione, meditatione purgemus noſmetipſos; oratione aſcendamus ad Deum: pro noſtris, & populi peccatis offeramus confugientes miſerrimis his temporibus ad patrem miſericordiarum, ad Deum totius conſolationis, ad auctorem pacis, vt miſereatur populi ſui. Varijs caſibus perturbatam Remp. chriſtianam, & afflictum populum conſoletur: donet nobis ſanctiſſimam ſuam pacem, qua primùm ipſe nos in gratiam, & in tutelam ſuam recipiat, tùm nobiſcū pacem habeamus, hoc eſt omnia, quæ in nobis ſunt, rationi obtemperent; à populo Chriſtiano tollantur omnia odia, oēs inimicitiæ; è principum, & regum animis euellantur omnia ſemina diſcordiæ; idem optent omnes, vnam Dei gloriam propoſitam habeant. Oremus etiā publicè, populum ad eandem orationem inuitantes: oremus, inquam, Deum vltionum, vt liberè agat, vt inimicos Crucis Chriſti non permittat deprimere, vel conculcare hæreditatem ſuam: quę ſtudia, quas ſanctas exercitationes, quem orandi modum non proponimus tantùm Cathedrali

Ecclesiæ, atque illis, qui Veronæ habitant, sacerdotibus, sed omnibus etiam curam animarum habentibus tàm in ciuitate, quàm extra ciuitatem commorantibus; sibique omnes persuadeant, nihil hoc tempore esse magis necessarium, nihil tàm vtile, nihil tàm acceptum mihi, quàm publicas preces fundere ad clementissimum patrem Deum: nihilque mihi accidere posse molestiùs, quàm cùm video Processionibus illis, & solennibus Missis, quibus etiam ipse assisto, non interesse plerunque illos, qui maximè deberent: quorum certè excusatio, aut potius negligentia diutiùs ferenda non erit. Delectentur sacerdotes nostri lectione sacrorum librorum: in illisque potissimũ versentur, quæ de varijs peccatorum generibus, & de recta formanda conscientia à doctis, & sanctis viris conscripta sunt. Eos libros, quos legendos proponimus Clericis nostris breui ad ordines sacros promouendis, Sacerdotibus non admodum in studijs versatis proponimus: quibus addimus egregiũ opus doctissimi hominis Petri Soti ordinis Pręedicatorũ inscriptũ, De scientia sacerdotibus necessaria: cuius viri librum, aut potius prælectiones, quas habuit ad sacerdotes, diligenter ipsi cõsiderantes ad scientiam, & ad omnes ecclesiasticas virtutes sibi comparandas excitabuntur. Proponimus etiam fratribus nostris vtilem admodum librũ Marci Maruli, quo quamplurima omnium Christianarum virtutũ exempla sunt tradita. Scripsit aliqua præclara Tullius Chrispoldus, qui Giberti Episcopi tempore pro sua charitate non minima in omnes huius ecclesiæ ordines, & in hunc populum beneficia contulit: cuius viri, qui adhuc octogenarius viuit, præceptis, & adhortationibus fortasse magis nostri excitabuntur Sacerdotes, quia hominis humilitatem, & innocentiam recordantur. Sed maximè cupimus opusculum illud, aut summam, cuius initium est, Defecerunt scrutantes scrutinio, à S. Antonio scriptam Veron. diœc. sacerdotes singuli habeant, legant studiosè, & mandent memoriæ.

De sacerdotibus, qui grammaticam, & latinam linguam non benè norint: item de Subdiaconis, Diaconis tam vrbanis, quàm diœcesanis. Cap. XII.

SI qui sunt, qui inopia magistrorum, aut imbecillitate corporis, aut tarditate ingenij, aut aliquo alio casu grāmaticam non rectè percipere potuerint, & latinam linguam non benè norint, eos amāter moneo, vt meditatione, & oratione intelligentiam petant à Deo: diligētiam maximā ante, quàm ad celebrandum se conferant, adhibeant: vicinos sacerdotes, si quid ipsis obscurum videbitur, consulant; indignitatem, atque etiam calamitatem suam deplorent, cùm labia sacerdotis custodire debeant sciētiam: quos tamen homines, si pietate, modestia, & sanctis moribus præditi sint, & exercendi animarum curam sint minimè auidi, non solùm ferendos, sed etiam amādos iudico: præsertim cùm B. Augustinus ita scribat, Nouerint non esse voces, quæ perueniant ad aures Dei, sed animi affectum: ita enim non irridebunt, si aliquos Antistites, & ministros Ecclesiæ fortè animaduerterint cum barbarismis, & solęcismis Deum inuocare, & verba perturbatè distinguere. Quę sanctus vir scripsit, non quòd ista minimè reprehēdenda sint, sed quia piè sunt tolerāda. Quo loco qui in primis artibus, in grammatica, in rhetorica, & in bonorum scriptorum libris profecerunt, sciant ad se pertinere, ab eisq; postulare Dominum; vt rudiores sacerdotes instruant: qua in re Domino, à quo illam cognitionem acceperunt, parebunt, si Giberti constitutionem de congregationibus faciendis, quam nos nuper multis iustissimis de causis, & bonorum sacerdotum consilio paucis quibusdam in rebus mutauimus, seruauerint: si Visitatorum nostrorum monitis obtemperantes bis in mense conuenerint ea tractaturi, quę in paruo quodā libello nuper edi-

to tractanda monuimus: cuius libelli obseruatio & si potissimùm pertinet ad Parochos, tamen pertinet etiam ad cæteros Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos; quandoquidem si sibi ipsi nō defuerint, breui & ipsi in Parochorū numero cōstituētur. Hortor autē, atq; etiā obtestor Subdiaconos, & Diaconos oēs, qui Veronę habitāt, vt cōgregationi, quam ad eorū vtilitatē instituimus, intersint; in hac Ecclesiastica schola sibi ipsi nō desint; pulchrā occasionē cognoscēdi muneris sui nō omittāt; ordines suos exerceant in aliqua Ecclesia, vt statuimus; non ausint sperare, se vllo vnquàm tempore Sacerdotij dignitatē consecuturos, nisi salutaribus nostris monitis paruerint, & aliquod ipsi etiam obedientiæ, diligentiæ, doctrinæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ testimonium dederint. Caueant in primis dilectissimi filij mei à vulgo; temerarius enim est, & pessimus consultor. Cōsuetudine bonorum, & doctorum sacerdotum, atque etiam religiosorum hominum doctiores, ac meliores fieri in dies studeant: Psalmos commendent memoriæ; lectione sacrorum librorum animos suos pascāt, quatuor locos, De duodecim symboli Apostolorum articulis, De septem sacramentis, De decem præceptis, ac De oratione Domica in promptu habeant: cum illisq; coniungant cognitionem præceptorum Ecclesiæ, ac præsertim peritiam persoluendarum horarum Canonicarum. Qui verò extra hanc ciuitatem in agro commorantur Subdiaconi, & Diaconi habent in congregationibus, quæ nostro iussu fiunt, vndè in disciplina Ecclesiastica proficere, & Deo, atq; Ecclesiæ seruire possint. Scripsimus ad filios nostros Acolythos de eorum disciplina libros duos; quibus eis præscripsimus quasdam regulas, quibus ipsi, & omnes Clerici, præsertim ij, quos Seminariū dicimus, ea, quę ad ipsos pertinent, cognoscant: atque etiā pręstare, si animū adiecerint, facilè poterūt. eorum etiā studiis, quantum possumus, consulimus docēdo, hortādo, atq; etiam increpando, ita vt de illis in hoc nostro opusculo sit superuacaneū quicq; scribere.

Epi-

Epilogus, quo Episcopus Canonicos, Sacerdotes cathedralis Ecclesiæ, Parochos, eos Sacerdotes, qui Monialium confessiones audiunt, & demùm religiosos homines, qui in sanctis monasterijs vitam degunt, ad suum officium pro dignitate præstandum hortatur. Cap. XIII.

IAM verò, vt in capita redigantur ea, quæ amanter ad Clerum nostrum scrpsi, vt amorem etiam meũ hoc libello illi ostenderẽ, moneo charissimos fratres meos Canonicos, vt fugiant illos, quos nominauimus morbos: constitutionẽ seruent in ijs, quæ ad tonsuram, & ad decorẽ habitus spectant: in Choro spectatorem se habere Regem regum, & Dominum dominantium sciant, ne eorum vagentur oculi: literas non legãt: nõ nugentur: se mutuò diligant: Sacerdotibus, & clericis licentiã peccandi suo exemplo, & sua indulgentia non præbeant: omnibus sit propositus honor Dei, & Veronensis Cleri dignitas. Qui ingenio, doctrina cæteris præstant, monere, hortari, atq; etiàm increpare non desinãt eos, qui huiusmodi stimulis egẽt, Chorum omnes frequententer: assiduè pro innumerabilibus beneficijs, quæ à Deo omnes accepimus, & accipimus quotidiè, gratias agant nulla alicuius emolumẽti ratione habita. meminerint Veronẽsẽs Canonicos, quibus post multos ipsi successerunt, summis Põtificibus gratissimos fuisse: multisque priuilegijs ob eorũ virtutẽ eorũ Capitulũ fuisse ornatum: quibus se dignos esse in primis studeãt: cũque nihil mihi possit esse acceptius, nihilq; iucũdius, q̃ inquirere, & decernere aliquid, quod ad rectè administrandã hanc diœc. pertineat, proponãt ipsi huiusmodi sẽper aliquid. Sacerdotes verò Cathedralis Ecclesię ij sint, qui haberi volũt: mihi, & fratribus meis Canonicis maiorem posthac lætitiã afferant, laborent in hoc maximè, vt cęteris nostri Cleri partibus ipsi, qui sunt eius minima portio, respondeant. Qui verò ad pascendas animas vocati sunt, mecũ pascant, agnoscant, custodiãt, & alãt animas ipsis, & mihi commissas. iuuemus nos mutuò. Qui lõgiùs absunt à ciuitate, scribant ad me sæpiùs, ne distantia aliquod incõmodum ouibus afferat. Verùm nõnullos bonos, & doctos Sacerdotes, quibus

onus iniunxi, vt Monialium confessiones audirẽt, rogo, atque etiã obsecro, vt animas mihi charissimas custodiãt: curẽt diligentissimè: prędicatione verbi Dei consolentur, & salutaribus documentis interdũ instruant, easque erudiant ad omnẽ pietatem, & ad obseruationem illarũ constitutionũ, quæ Episcoporum, qui antè me fuerunt, iussu sunt editę. Sponsas Christi, Deo dilectas filias bonorũ sacerdotũ fidei cõmitto. Caueant, ne recta disciplina, qua maximo Dei beneficio huius ciuitatis monasteria conseruãtur, vanitate, negligentia, indulgentia, aut cupiditate labatur, eatque in deterius. Extrà confessionẽ non longo sermone eas detineant: munusculis nõ delectentur: ipsis nõ blandiantur. Postremò locus postulat, vt ad religiosos homines, qui in sanctis monasteriis in hac ciuitate viuũt, & Deo seruientes, mecũ in hac vinea laborantes saluti multorũ consulunt, sermonem conuertam. Eos igitur rogatos velim, vt in suis Ecclesiis singulis diebus festis verbum Dei prædicẽt: post Vesperas etiam aliquam sacrorũ librorum partẽ interpretentur, in primis in administratione sanctorũ sacramẽtorũ Eucharistiæ, pęnitentię Clerũ nostrũ adiuuent: & in primis clemẽtissimum patrem Deũ orẽt, vt dirigat gressus meos; me instruat; non cadã miserabiliter: huic populo prosim mea industria, cognoscã, custodiã, pascam oues Christi. mea culpa nulla erret. Cardinalẽ amplissimum Commendonũ, quẽ nobilissimã nostri Cleri partem, aut potius oculũ libẽter nomino, cuius fidei D.N.I. Christus per eius Vicariũ Pium V. sanctiss. Pontificẽ monasterium nobile sancto Zenoni martyri dicatum, quasdã etiã animas cõmẽdauit, pro certo habeo, vt facit, causam Dei maximè tuebitur: Cõstitutiones, quibus huius Cleri, atq; etiã totius populi Veroñ. disciplina continetur, obseruandas curabit: ostendet multis argumentis se idem sentire, quærere eandem Dei gloriam, & huius populi salutem habere propositã.

4. F I N I S.

Hunc libellum, quo explicauimus, cur constitutiones non ediderimus quatuordecim iam annos nostro iussu typis mandatum constitutionibus addendum censuimus, vt indicem amoris nostri ergà hunc clerum nostrum.

Absolvta harum Constitutionum impressione, cum eas, earumq; annotationes, & declarationes diligenter legissemus, pauca aliqua offendimus, quæ maiore declaratione indigere nobis visa fuerunt. Ea propter inferius præsenti folio post Constitutiones ipsas addenda duximus.

Ad cap. 19. tit. primo. Cum enim Concilium Trid. tales concubinarios statutis Ecclesiarum puniri iubeat, Constitutionem ipsam adidem non simpliciter reuocamus, sed ad ordinem procedendi, vt prius locus sit pœnis præsenti Constitutione contentis, in alijs tamen, quàm in priuatione beneficiorum; deinde iusta determinationem ipsius Concilij etiam vsque ad priuationem, & vlterius procedatur.

Ad cap. 8. tit. 4. & quia etiam ex dispositione Concilij sess. 25. cap. 13. de reformat. Exempti omnes tam Clerici seculares, quàm regulares accedere ad publicas processiones quamuis compelli debeant, nos tamen eos obnixe hortamur, vt ad eas conueniant.

Ad cap. 15. tit. 5. Constitutio hæc in principio aliquãtulum differre videtur à vetere Constitutione impressa; & quia nomini Ioannis Matthæi Giberti prædecessoris nostri, quem honoris causa hoc loco nominamus, plurimum deferimus, eam hic, prout antea reperiebatur, imprimendam voluimus.

Quum autem dictum sit supra non aliquo liquore baptizari debere, quàm cum aqua elementari, Mandamus, quòd in qualibet plebe, & parochiali Ecclesia sit vnus fons baptismalis, super quo sit vnum ciborium, prout in visitationibus nostris etiam ordinauimus, & iam fere per cuncta loca est executioni mandatum, tutum, & bene clausum, cum vna claui, in quo teneatur semper apparata aqua baptizandi, quam omni anno benedicere in sabbato sancto, & in sabbato Penthecostes Curati debeant, & continue fons ipse bene custodiatur, ne aqua baptismalis aliquando abuti contingat: & vt tale sacramentũ nitidius, ac reuerẽtius tractetur, teneatur uasculum aliquod honorabile ad hunc vsum solum destinatum, quo inspergatur aqua baptizandi caput. Et quia rem totam diligentissime considerantibus planè non constat, fuerit ne illa Giberti sententia, nec ne; cum ea, quæ scripsit in Rituali, huic Constitutioni aduersari videantur; cuius hæc verba sunt, In qualibet plebe, & parochiali Ecclesia, in qua est fons baptismalis, super eo fonte sit vnum ciborium tutum, & bene clausum.

Ex quibus verbis colligi potest, non omnibus parochialibus Ecclesijs datam esse facultatem fontis baptismalis; quam rem confirmare videtur vsus multarum parochialium, in quibus non sunt fontes baptismales. Et iccirco vt oẽm ambiguitatẽ tollamus, decernimus, vt non liceat cuicunq; Curato ipsius Constitutionis vigore pro libito suæ voluntatis fontem erigere baptismalem, nisi prius mandato, & licentia speciali obtenta à nobis. Si secus factum erit, fons ipse funditus omnino destruatur, & Parochus ille mulctetur arbitrio nostro.

Ad cap. 11. tit. 7. Cum autem Concilium imponat separationem tantum, & am ssionem spei dispensationis consequendæ: aliquo verò casu Constitutio locum habere potest, eam vim habere decernimus.

ANNOTATIO TITVLORVM.

INDEX COPIOSVS EORVM, QVAE IN HIS CONSTITVTIONIBVS CONTINENTVR.

L

Obla-

Spe-

F I N I S.

ERRATA.

pag.	6.	lin.	6.	dicenti legatur, decenti.
Ead.	pag.	lin.	vlt.	ad c. 2. conc. legatur, ad c. 2. nec non conc.
pag.	10.	lin.	1.	ex. legatur, &c.
pag.	16.	lin.	5.	habentss. leg. habentes.
pag.	62.	lin.	28.	quiquid. lege. quicquid.
pag.	64.	lin.	2	admittat leg. admittant.
pag.	64.	lin.	12.	quomodo. leg. quoquomodo.
pag.	114.	lin.	12.	earum. lege eorum.
pag.	130.	lin.	3.	fidelium. leg. filium.
pag.	136.	lin.	vlt.	puniantur. leg. puniatur.
pag.	142.	lin.	26.	quorum. leg. quatum.
pag.	166.	lin.	4.	Guardianus. lege. Guardianos.
pag.	203.	lin.	8.	nec, leg. ne.

Conſtitutiones non ligatæ quadraginta, ligatæ vero quinquaginta marculis venduntur.